DE

EPIGRAMMATIS GRAECIS

MELETEMATA SELECTA

SCRIPSIT

THEODORUS PREGER.

ACCEDIT KYRIACI ANCONITANI FRAGMENTUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MONACENSIS.

MONACHII
EX OFFICINA F. STRAUB ACADEMIAE TYPOGRAPHI
1889.

RUDOLPHO SCHOELL

S.

INDEX.

Cum inscriptiones graecae metricae quae in lapidibus exstant Kaibelii opera egregie congestae atque dispositae sint[1]), earum quae dispersae occurrunt in veterum scriptorum libris, quae quidem haud minoris sane sunt momenti, nulla adhuc plena atque integra praesto est collectio et sicubi ex parte sunt collectae, mixtae leguntur cum demonstrativi generis epigrammatis quae nunquam marmoribus insculpta erant. Atque Morhofium habuisse quondam in animo non solum quae versibus inclusae essent inscriptiones sed etiam pedestri sermone scriptas omnibus ex auctoribus conquirere et idem mente agitasse Reinesium narrat Maffeius in Arte critica lapidaria p. 11, sed utrumque nescio qua re impeditum nihil publici iuris fecisse. Neque melius ipsi Scipioni Maffeio cessit qui septuaginta scriptoribus hunc ad finem perlectis morte occupatus est, nihil ut ederetur nisi fragmentum dissertationis, quam composuerat „de inscriptionibus quae in Graecorum libris feruntur“, insertum eius de arte critica lapidaria libello p. 11—33. Quo in fragmento, quod parum viris doctis innotuisse videtur, apparet admirabile viri acumen:

1) Epigrammata Graeca ex lapidibus conlecta ed. Kaibel, Berol. 1878; accedit supplementum in Mus. Rhen. 34 p. 181—213. Epigrammatum post Kaibelii syllogen erutorum ea quae vetustioribus temporibus usque ad medium alterum a. Chr. saeculum adscribuntur, collegit Allen in „Greek versification of inscriptions“ (Papers of the American school of Athen IV 1888 p. 174—204).

primus enim non pauca epigrammata quae etiam multis annis post atque adeo nostra aetate genuinae existimantur inscriptiones, iure obelo notavit. Velut epitaphium Charetis uxoris (v. caput VIII) subditicium esse intellexit, cum fere post quinquaginta annos Heyne in ampla quam scripsit „de Damalide Charetis uxore“ disputatione, ne suspicionem quidem de testium fide atque auctoritate moveret. Idem primus Pseudo-Simonideum illud 185 B Bgk. in crepidine colossi Rhodii inscriptum fuisse negavit et Constantino Porphyrogenneto, quem nuper Lueders (der Koloss zu Rhodos, 1865) secutus est, optimo iure omnem derogavit fidem. — Iam ante postumum hoc Maffei opusculum Bonadae anthologia[1]) in lucem prodierat, in qua centum fere epigrammata ex Herodoto Diodoro Pausania Plutarcho Diogene Laertio petita mixta leguntur cum metricis lapidum inscriptionibus et graecis et latinis. Sed cum professor ille eloquentiae Romanus pessimis editionibus usus esse videatur et tam expers fuerit artis criticae, ut quae exhibet verba saepe metro includi recusent, nihil omnino ex eius libro lucrari possumus.

Stephano praeeunte magnam partem poeticarum, quae in scriptorum libris occurrunt, inscriptionum Brunck in Analecta sua veterum poetarum recepit, neque tamen eo consilio ut iis inscriptionum corpus suppleret, id quod Morhof et reliqui studebant, sed ut lusus poetarum colligeret. Ne Jacobs quidem „vir de Anthologia et universis literis graecis immortaliter meritus“ epigrammata quae saxis insculpta fuisse compertum habemus, a demonstrativis seiunxit, sed Analectorum carmina sat multis a Brunckio praetermissis auxit et quotquot desunt in codice Palatino et libris Planu-

1) „Carmina ex antiquis lapidibus dissertationibus ac notis illustrata a Fr. M. Bonada eloquentiae professore“. 2 voll. Rom. 1751 sqq. Simile opus parasse Dorvillium tradit Welcker in praefatione syllogae p. IX.

deae in appendicem, quam in calce editionis suae adiecit, congessit[1]). Cuius appendicis quasi supplementa Welcker nova epigrammata et ex saxis et ex libris collecta edidit in Sylloge epigrammatum (altera editio Bonn, 1828) et in spicilegiis museo Rhenano (Rh. M. N. F. 1, 3, 6, 7) insertis. Sed cum ne hic quidem omnia indagasset neque tituli uno volumine congesti, sed per Welckeri appendiculos et Jacobsii appendicem dispersi essent, abhinc ter senos menses universitatis literariae Monacensis ordo philosophorum quaestionem instituendam proposuit, „ut ex omnibus veteribus scriptoribus „praeter Anthologiam Palatinam et Planudeam epigrammata „graeca, quae vel sepulcris vel donariis vel aliis rebus dice„rentur inscripta esse, colligerentur[2]) collectaque adnotatione „critica et exegetica instruerentur, denique falsa a genuinis „discernerentur". Et cum ultimo semestri quae ego composui praemio digna iudicata essent, ex iis haec paucula nunc quidem decerpsi totam collectionem non ita multo post editurus.

I. De Simonidis Cei epigrammatis.

De Simonidis epigrammatis primus Junghahn accuratam instituit disputationem (Jahresber. des Luisenstädt. Gymn. in Berlin 1869), qui carminum quae et veteres et recentiores grammatici certatim eius nomini subdiderunt, haud pauca ab eo profecta esse negavit. Longius progressus est Kaibel qui et in censura Junghahnii programmatis annalibus philologicis inserta (vol. 105 (1872) p. 789 sqq.) et in quaesti-

---

1) Sat mire et ridicule Voemel in editione Demosthenis (excurs. ad 18, 289) eumque secutus Richter in programmate Malchinensi (de epigrammate Chaeronensi p. 6) hanc appendicem a veteribus compositam esse et in codicibus exstare arbitrantur.

2) Tractanda igitur erant etiam octoginta fere epigrammata quae ex scriptoribus in Anthologiam Palatinam vel Planudeam recepta sunt.

onibus Simonideis (Rh. Mus. 28 p. 436—460) omnia fere quae Simonidis esse putabamus epigrammata huic poetae eripuit. Quorum sententiae cum non omni ex parte accedere possim, ea quae aliter sentio, paucis exponam.

Ac primum quidem haud levis sane momenti mihi quaestio videtur esse de prima Simonidis epigrammatum collectione. Qua de re disserens Kaibel hanc proponit coniecturam (p. 453): cum Aristoteles (rhet. 1. 9) Archedicae epitaphium (ep. 111 Bgk.) Simonidi tribuat, contra qui idem affert Thucydides (6. 59) taceat de poeta, huius forsitan aetate epigrammata poetae nondum fuisse collecta, fuisse philosophi temporibus. Qua in re hoc recte perspexit vir doctissimus exstitisse quarto a. Chr. n. saeculo epigrammatum Simonidis syllogen: etenim quo alio auctore niti poterat Aristoteles quem non solere inexplorata pro compertis vendere suo iure contendit Kaibel?[1]) Sed quod post Thucydidem hanc collectionem factam esse putat, hac in re sibi ipse obloqui mihi videtur. Cum enim rectissime in eisdem quaestionibus (p. 436) minime neglegendum esse demonstret nunquam poetae nomen in lapide fuisse adscriptum, a quonam homine et quo modo septuaginta vel pluribus etiam annis post poetae mortem collecta esse epigrammata animo sibi effingit? An initio quarti a. Chr. saeculi grammaticum quendam totam Graeciam neque Graeciam solam perlustrasse putamus, ut nunc Lampsaci nunc Plataeis titulos describeret, modo Athenis modo ad Thermopylas modo Olympiae perscrutaretur marmora? Idque ut illa aetate factum esse existimaremus — equidem enim minime probabile hoc esse duco —, unde potuit iste periegeta Simonidis nomen eruere non insculptum in monumentis? Unde, quaero, nisi ex accolarum ore qui fama et auditione a maioribus acceperant? Hunc autem quasi

1) Ex historico quodam hausisse Aristotelem toto illo loco refutatur. — Ceterum eadem collectione usus esse videtur auctor ex quo Pollux ep. n. 130 tradit.

fontem non per duo vel tria hominum genera purum et integrum manare nemo negabit. Ergo si eis quae Kaibel proposuit rectam subiunxisset conclusionem, profitendum ei fuit nos nullum omnino epigramma certis usos testimoniis Simonidi tribuere posse[1]).

Neque vero tam male res se habent. Etenim inde quod Thucydides poetam Archedicae epitaphii ignorabat[2]) nequaquam colligere licet illius aetate epigrammatum Simonidis collectionem nondum exstitisse: quid enim mirum Thucydidem qui ex marmore descripsit titulum poetae nomen lapidi non incisum omisisse, quid mirum eum qui praeter Homerum et Hesiodum nullum poetam memorat, eiusmodi collectionem aut non novisse aut etiamsi novisset, inesse haec ipsa disticha oblitum esse? Immo si rectissime Kaibel Aristotelis aetate epigrammatum collectionem fuisse contendit, haec non potuit non ab ipso Simonide facta atque aut a poeta ipso aut mortuo eo a cognatorum quodam, fortasse a Bacchylide edita esse[3]).

Inde manasse consentaneum est Alexandrinorum grammaticorum syllogen, quam compilavit Meleager aliique qui florilegia composuerunt. Ubi etsi lemmata quin primum recta adscripta fuerint non est cur dubitemus, tamen paulatim et a librariis et a novorum florilegiorum conditoribus corrupta omissa mutata sunt. Quare permultum interesse videmus quo

1) Schaumberg (de dialecto Simon. etc. p. 7) Simonidis epigrammata non esse collecta censet ante Alexandrinos grammaticos qui aut famam secuti aut ex coniectura poetae nomen addidissent. Sane mirum eum qui ita sentiat, de Simonidis scribere dialecto. — Neque video quomodo Bergk (PLG. III⁴ p. 447 not.) „carminis auctorem quem ignoravit Aristoteles postea indagari potuisse“ putet.

2) Recte enim Kaibel (p. 453) verisimile esse negavit Thucydidem Simonide nominando supersedendum putasse.

3) Prodiit igitur editio Syracusis, in urbe literarum gloriae Atheniensium tunc maxime aemula. v. etiam Christ griech. Literaturgesch. p. 252 n. 6.

auctore usi sint scriptores qui epigrammata Simonidis afferunt. Si enim pristinam illam syllogen a poeta ipso institutam sequuntur, eis utique fides habenda est neque temere licet dubitare, si quis ex Alexandrinorum collectione vel ex Meleagri corona recens edita hausit. Sin autem unicus testis exstat florilegium inferiore aetate compositum, veluti Cephalana vel Planudea vel alia anthologia, fieri sane potuit ut integrum servaretur lemma, sed certum ex hoc fonte solo iudicium sumere non licet.

His expositis si singula testimonia considerabimus, multa quidem epigrammata Kaibelium recte spuria iudicasse censebimus, sed esse quaedam ubi longius provectus esse videatur. Ut igitur in iis quae de Aristide contra Bergkium disputavit, plane assentior viro acutissimo[1]), ita eius de Herodoti Plutarchique locis sententiam minime possum amplecti.

Atque Herodotus in celeberrimo septimi libri loco (c. 228) epigrammatis, quae in cippis eorum qui ad Thermopylas pro patria cecidere incisa erant (ep. Sim. 91. 92. 94 Bgk.), haece verba subiungit: *ἐπιγράμμασι μέν νυν καὶ στήλῃσι ἔξω ἢ τοῦ μάντιος ἐπίγραμμα Ἀμφικτύονές εἰσί σφεας οἱ ἐπικοσμήσαντες· τὸ δὲ τοῦ μάντιος Μεγιστίεω Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπεός ἐστι κατὰ ξεινίην ὁ ἐπιγράψας.* Inde confidenter efficit Kaibel (p. 438) etsi non necessarium, at maxime probabile esse Peloponnesiorum et Lacedaemoniorum epigrammata Simonidem non scripsisse. Cum enim Herodotus

1) Quamquam in ep. 142 Bgk. ex Aristidis scholiastae et anthologiae Pal. correctoris consensu id concludi potest, fuisse ei in quodam florilegio (falsum) Simonidis nomen praefixum. Etiam n. 91 et 97 corrector huic poetae tribuit. Ceterum duo ex epigrammatis quae rhetor affert, titulum dico quadrigarum aenearum (132 Bgk.) et carmen quod supra dixi in Eurymedontiam pugnam (142 Bgk.) non possunt a Simonide profecta esse; illius enim, si in pristinam illam collectionem a poeta receptum esset, iustus ordo versuum in antiquiore exemplo servatus (CIA IV 334a) exstaret apud Cephalam, hoc novicium esse nuper docuit Keil (Hermes 20 p. 343 sqq.).

poetae nomen ignoraverit, Herodoto autem plus de hac re veteres scire non potuerint, nulla fide dignos esse Ciceronem et codicis Palatini correctorem qui decepti sint parum accurata Herodoti interpretatione. Sed vide ne ipse vir doctissimus parum accurate interpretatus sit verbum *ἐπιγράψας*, quod meo iudicio necesse est eandem habeat vim quam quibus oppositum est *ἐπιγράμμασιν ἐπικοσμεῖν*. Quia autem nemo opinor Amphictyones carmina conscripsisse iudicabit neque hoc sibi vult genuina „epigrammatis exornandi“ notio, ne *ἐπιγράψας* quidem hoc loco „epigramma faciendi“ significationem habere potest neque, quoad sciam, apud ullum ante Alexandrum scriptorem eam vim habet. Ergo Simonidem epitaphium Megistiae non tam fecisse quam cippo insculpendum curasse refert Herodotus[1]). Quod cognitum habuit ni fallor historicus ex inscriptione ipsa; subscriptum enim fuerit versibus amici nomen, quem morem non insolitum fuisse illius saeculi Graecis ex ep. 488 Kaib. (cf. n. 56) discimus. Peloponnesiorum et Spartiatarum epigrammata Amphictyones inscribenda curaverunt, quae qui fecerit quamquam non adnotat Herodotus, tamen nihil obstat quin a Simonide ea profecta esse censeamus: neque enim temere correctorem anthologiae Palatinae (VII 249) poetae nomen epitaphio Lacedaemoniorum adscripsisse (id quod putat etiam Finsler krit. Untersuch. zur Anthol. p. 136 sqq.), docet eius cum Cicerone (Tusc. 1. 101) consensus, quem ex Alexandrina sylloge aut ex Meleagri corona recens tum edita Simonidis nomen sumpsisse probabile est. Et favet horum testimonio ionica dialectus unde id certe colligere licet a ionico poeta epigramma esse conscriptum[2]). Peloponnesiorum vero titulus quem se-

1) Quamquam manifestum est poetam in versibus faciendis non aliena opera usum esse.

2) Neque enim solum Athenienses (Kirchhoff Hermes 5 p. 48 sqq.), sed etiam reliquos Graecos in vetustioribus epigrammatis non ionica, sed propria usos esse dialecto titulis huius aetatis qui et in marmoribus et in libris (inprimis apud Pausaniam) exstant docemur.

pulcralem esse falso tradit Herodotus (v. Kirchhoff, Monatsber. d. Berl. Akad. 1878 p. 3 not.) a solo correctore anthologiae (VII 248) Ceo poetae adscribitur, cui num iam ab Alexandrinis tributus sit, discerni non potest.

Vidimus igitur et in Archedicae et in Spartiatarum epitaphio, inde quod rerum scriptores poetae nomen omiserunt minime concludamus licere carmen quod alii sat locupletes testes Simonidi adscribunt ab eo esse alienum. Quod bene animo tenendum esse iubeo cum iudicium faciamus de epigrammate Kaibelio auctore minime Simonideo, titulum dico, quem Pausanias Lacedaemoniorum rex in tripode illo Plataeensi inscripsit: *Ἑλλάνων ἀρχαγὸς κτλ.* (ep. 138 Bgk.). Quos versus Pausanias periegeta 3. 8. 2 et Anth. Pal. VI 197 (A) Simonidis esse contendunt, auctoris nomine non addito afferunt Thucydides 1. 132, Ps. Demosth. in Neaer. 97, Plut. de Herod. malign. 42. Sed nihil huc faciunt Ps. Demosthenes et Plutarchus quos titulum ex Thucydide sumpsisse constat neque Kaibel negat (p. 448). In Thucydidis vero de hoc epigrammate testimonio quin idem valeat quod in Archedicae epitaphio (v. p. 5)? Neque enim ullo pacto neglegendus Cephalae et periegetae consensus unde id quidem sequitur epigramma fuisse in Simonideorum collectione. Inde enim, non ex florilegio periegetam hausisse existimandum est qui cum alios veteres poetas tum Simonidem bene calluit (6. 9. 9, 10. 27. 4 cf. 1. 2. 3). Irritum sane Kaibelii inceptum liberare poetam vilis ingenii crimine[1]: nam qui Pisistratidarum amicus (Plat. Hipparch. p. 228 C, Ael. v. h. 8. 2 et inprimis ep. 111) idem non veritus est Atheniensibus epigramma suppeditare quod in crepidine statuarum Harmodii et Aristogitonis inciderent (ep. 131. Hephaest. 26 ex Alexandr. sylloge), eum multo facilius iudicabimus et Pausaniae sibi victoriam vindicanti titulum fecisse et Graecos

---

1) cf. quae de lucri Simonidis cupiditate congessit Sternbach meletemata Graeca I Vindob. 1886 p. 138 sqq.

omnes elegiis et epigrammatis ob bella Persica celebrasse. Neque testimonia veterum de necessitudine quae erat inter Simonidem et Pausaniam (Schneidewin ed. Sim. p. XIX) tam facile possunt removeri quam putat Kaibel.

Iam dixi Pausaniae titulum afferri etiam in libello de Herodoti malignitate. Cuius etsi auctor, sive est Plutarchus sive alius quis, Herodotum Corinthios et Boeotios calumniatum esse falso contendit, tamen eum optimis rerum scriptoribus usum esse hodie constat et saepissime quae Ephorus Theopompus aliique testes Herodoto non deteriores tradiderunt, ab eo uno memoriae sunt prodita[1]). His ex auctoribus epigrammata quoque octo quae affert sumpta sunt neque vero ex florilegiis unde pleraque petita esse putat Kaibel. Neque enim omnino existimandum est Herodoti calumniatorem aliunde inscriptiones sumpsisse, aliunde quae de eis disserit. Immo quam rationem in Pausaniae regis titulo memorando adhibuit quem non ex florilegio, sed ex Thucydide eum petivisse verba ipsa (*κολάπτειν*) declarant (v. supra p. 8), eandem eum adhibuisse putandum est etiam in reliquis. Omnia igitur epigrammata quarto iam a. Chr. saeculo exstitisse censendum est. Sed Kaibel ut duo quibus Plutarchus ipse Simonidis nomen praefixit carmina (136 et 137 Bgk.), ne ipse quidem addubitat, ita eorum quae sine auctoris nomine ab illo afferuntur, Pausaniae quidem epigramma, de quo modo egi, etsi ab hoc poeta alienum attamen genuinam iudicat inscriptionem, quinque vero quae restant non satis habet Simonidi abrogare, sed etiam quinto saeculo ea facta lapidibusve unquam insculpta fuisse negat. Atque certe poetae nomen testimoniis nititur auctorum fide indignissimorum (anthologiae Palatinae correctoris in ep. 97, 134, 140, Ps. Dionis et Anthol. in 98, Ps. Dionis in 96) neque dubito quin recte ea

1) cf. Wecklein Tradition der Perserkriege, Holzapfel Philol. 42. 23 sqq.

repudiaverit Kaibel; sed ipsa epigrammata novicia et recens ficta esse id mihi quidem vir doctissimus minime probavit; quem contra genuina esse, cum singula epigrammata in sylloge tractabo, demonstrare conabor. Nunc id adnotare liceat Junghahnii opinionem, quam recepit Kaibel, pronomen *οὗτος* Simonidis aetate non *δεικτικῶς* usurpari eamque ob causam ep. 98 et 194 (quae si quae alia lapidibus erant inscripta) novicia esse optime refutatam esse a Bergkio PLG III⁴ p. 432 (adde I G A 382).[1]) Atque quam infirmis nitatur fundamentis Junghahnii opinio, vel inde apparet quod Cypselidarum arcae inscriptiones repugnantes scilicet suae sententiae post Simonidis aetatem conditas esse contendit.

II. De Simonidis ep. 137 Bgk.

Αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ εὐθυμάχων πολιατᾶν
⟨ἄνθεσαν⟩ εὐξάμεναι Κυπρίδι δαιμονίᾳ·
οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ' Ἀφροδίτα
Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Sequebantur nomina mulierum dedicantium.

Schol. Pind. ol. 13, 33. *Θεόπομπος δέ φησι καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν εὔξασθαι τῇ Ἀφροδίτῃ ἔρωτα ἐμπεσεῖν τοῖς ἀνδράσιν αὐτῶν μάχεσθαι ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος . . . εἶναι δὲ καὶ νῦν ἀναγεγραμμένον ἐλεγεῖον εἰσιόντι εἰς τὸν ναὸν τῆς ἀριστερᾶς χειρός· αἵδ'—προδόμεν.* Plut. de Her. mal. 39 *ὅτι μόναι τῶν Ἑλληνίδων αἱ Κορίνθιαι ηὔξαντο τὴν καλὴν ἐκείνην καὶ δαιμόνιον εὐχὴν ἔρωτα τοῖς ἀνδράσι τῆς πρὸς τοὺς βαρ-*

1) Etsi autem Simonidis aetati minime alienum erat pronomen *οὗτος*, tamen Simonides ipse eo usus non esse videtur. — Ceterum inprimis in Corinthiacis titulis haec de qua dixi pronominis vis occurrit. Praeter epigr. Ps. Sim. 98 et 134 Corinthiaca exstat in arca Cypselidarum (ter), in Phidolae Corinthii epigrammate (v. infra cap. IV), in donario Apolloniatarum Corinthi colonorum (Paus. 5. 22. 7).

βάρους μάχης ἐμβαλεῖν τὴν θεόν, οὐχ ὅπως τοὺς περὶ τὸν Ἡρόδοτον ἀγνοῆσαι πιθανὸν ἦν, ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἔσχατον τῶν Καρῶν· διεβοήθη γὰρ τὸ πρᾶγμα καὶ Σιμωνίδης ἐποίησεν ἐπίγραμμα, χαλκῶν εἰκόνων ἀνασταθεισῶν ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἀφροδίτης· . . τὸ δ' ἐπίγραμμα τοῦτό ἐστιν· αἵδ'—προδόμεν. Athen. 13. 573 c. *καὶ ὅτε δὴ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν στρατείαν ἦγεν ὁ Πέρσης, ὡς καὶ Θεόπομπος ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος ἐν τῇ ἑβδόμῃ, αἱ Κορίνθιαι ἑταῖραι ηὔξαντο ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας εἰς τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐλθοῦσαι νεών· διὸ καὶ Σιμωνίδης ἀναθέντων τῶν Κορινθίων πίνακα τῇ θεῷ τὸν ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα καὶ τὰς ἑταίρας *ἰδίᾳ (δημοσίᾳ* coni. Bgk.) *γραψάντων τὰς τότε ποιησαμένας τὴν ἱκετείαν καὶ ὕστερον* <*ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς* add. Kaibel> *παρούσας συνέθηκε τόδε τὸ ἐπίγραμμα· αἵδ'—προδόμεν.* Lascaris in cod. Matr. ap. Iriart. p. 263. *Ἐπίγραμμα Ἀριστοτέλους ἐλεγεῖον ἐν ναῷ τῆς Κορίνθου· αἵδ'—δόμεναι.*[1])

v. 1. *Ἑλλήνων* Ath. Matr. | *εὐθυμάχων* Ath., *ἰθυμάχων* Plut., illud epicae formae praetuli; *ἀγχεμάχων* Matr. schol. nisi quod Vrat. D *ἐγχεμάχων; ἰθυμαχᾶν* Dobree (in „Porsoni notae in Aristoph.“ app. p. (129)) *πολιατᾶν* scripsi; *πολιητᾶν* auct. (*πολιτᾶν* Plut. cod. E.) **v. 2.** *εστασαν* Matr., *ἕστασαν* schol. (recep. Schneidewin), *ἕσταθεν* Plut., *ἕσταθεν* Ath., *ἐστάθεν* (= *ἐστάθησαν*) Bgk.; *ἄνθεσαν* vel simile quid posci infra exponam | *εὐξάμεναι* Plut., *εὐχόμεναι* schol. Matr., *εὔχεσθαι* Ath. *δαιμονίᾳ* schol. Matr. Ath., *δαιμόνιαι* Plut., *δαμοσίᾳ* Lobeck Parall. 361, *καδεμόνι* Hecker Philol. 4. 484, *δαίμονι ᾆ* C. Fr. Hermann; *τὶν στάθεν εὔχεσθαι, Κύπρι, λιλαιόμεναι* M. Schmidt. **v. 3.** Distichum intercidisse putat Bgk. *ἐμήσατο* schol., *ἐμήδετο* Plut., *ἐβούλετο* Ath. Matr., *ἐμήσαο* M. Schmidt | *δῖα θεοῖσιν Ἀφροδίτα* cod. Vrat. D scho-

---

1) Lascarin ex Pind. schol. hausisse et lectionum consensus et subsequens Eumeli fragmentum (2 Kinkel) demonstrat ex eiusdem carminis Pindarici commentario (ad ol. 13. 74) petitum; non potuit igitur ille haec ex vetusto nescio quo florilegio epigrammatum haurire, cuius auctor Pindaricis commentariis usus esset: quae est opinio Kaibelii (Rh. M. 28. 450 sq.) qui ut falso praefixum Aristotelis nomen explicaret, nos „corrupti paulatim lemmatis exemplum habere certissimum“ statuit. — Unde philosophi nomen irrepserit incertum.

liastae unde Boeckh *δῖα θεάων* coniecit v. 4. *Πέρσαις* Ath. | *δό-μεναι* schol. Matr.

Hoc epigramma tractantibus haud exiguae oboriuntur difficultates. Nam ut omittam codicum varias lectiones, neque constat utrum coniuges Corinthiorum an meretrices Venerem precibus adierint, cum hoc Athenaeus, illud reliqui tradant, neque utrum mulieres illae secundum Athenaei testimonium tabula picta an quod dicit Plutarchus aeneis statuis fuerint honoratae. Statuas illa quidem aetate mulieribus positas esse tam veri dissimile est, ut recte Kaibel reiecerit (Rh. M. 28. 446); ad picturam autem *ἐστάθεν* pertinere non potest: neque enim Anth. P. IX 605 quadrat quo loco Bergk hanc verbi vim tueri voluit. Quid igitur? Omittamus paulisper auctores quaeque illi fabulantur ipsumque consideremus epigramma.

Atque optime Bergk intellexit, quale nobis traditum esset, eius alterum distichum cum priore non cohaerere, quam ob rem ille quidem aliquot medios versus intercidisse arbitratur: neque tamen lacuna meo iudicio statuenda est, sed versus secundi corruptela. Quo in versu *εὔχεσθαι* non precandi, sed vovendi vim habere ut in titulo dedicatorio maxime est probabile: haec enim *εὔχεσθαι* verbi et inprimis participii creberrima significatio est in titulis dedicatoriis[1]); tum in locum corrupti illius *ἐστάθεν* activa forma verbi cuiusdam dedicandi reponenda est velut *ἄνθεσαν* vel *στάσαντ'* (cf. *εστασαν* cod. Matr. = *ἔστασαν*). His ita restitutis plane aliud atque antea putabant viri docti, significat epigramma: mulieres enim quae votum fecerant pro Graecis civibusque

1) Conferre licet simillimum epigramma in Bull. Corr. hell. 1886 p. 367 (= Allen p. 197 nº CXVI):

Ποντίῳ ἱππομέδοντι Ποσειδῶνι Χρόνου υἱεῖ
ἡ πόλις εὐξαμένη τούςδ' ἀνέθηκε θεῷ
ἡμιθέους σωτῆρας ὑπὲρ προγόνων τε καὶ αὐτῶν
καὶ γῆς καὶ τεκέων καὶ σφετέρων ἀλόχων.

hoc votum solventes dedicant Veneri donarium cui adscripti sunt versus[1]); nam haec dea saluti patriae patrocinata erat. Dedicatam autem a mulieribus quarum index in titulo sequebatur, putamus tabulam, qua ipsae Venerem precibus adeuntes depictae erant. Iam alterum distichum aptissime priori adiungitur, iam mirus ille honor, qui mulieribus ob precationem nescio quam impertitus esse dicebatur, sublatus. Neque dissidet quale restituisse nobis videmur epigramma, cum gravissimo auctore Theopompo cuius verba accurate exhibet scholiasta Pindari. Athenaeum enim non ex Theopompo sed ex Chamaeleonte peripatetico fabellam hausisse Bergk verissime contra Kaibelium disputavit. Chamaeleo autem quae de meretricibus narrat ex appellatione Veneris eum falso conclusisse in propatulo est, denique quae Plutarchus de statuis fabulatur procul dubio falsae lectioni *ἐστάϑεν* debetur.

Num Theopompus carminis auctorem noverit incertum; neque tamen est cur Chamaeleonti et Plutarcho Simonidem diserte nominantibus diffidamus.

III. De tripodum Apollini Ismenio dedicatorum inscriptionibus.

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέϑηκεν ἑλὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Herod. 5. 59. *Εἶδον δὲ καὶ αὐτὸς Καδμήια γράμματα ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἰσμηνίου ἐν Θήβῃσι τῇσι Βοιωτῶν ἐπὶ τρίποσι τισὶ ἐγκεκολλαμένα, τὰ πολλὰ ὅμοια ὄντα τοῖσι Ἰωνικοῖσι. ὁ μὲν δὲ εἷς τῶν τριπόδων ἐπίγραμμα ἔχει· Ἀμφιτρύων—Τηλεβοάων. ταῦτα ἡλικίην εἴη ἂν κατὰ Λάϊον τὸν Λαβδάκου τοῦ Πολυδώρου τοῦ Κάδμου.* Schol.

1) Obiectum in titulis dedicatoriis ne pronomine quidem expressum esse non unum exstat exemplum: Kaibel 738, Ἐφημ. ἀρχ. 1885 p. 198 (= Allen Greek versification etc. p. 190 n° XCVI), I G A 78, Mandroclis titulus (Herod. 4. 88), alia.

Dion. Thrac. in B. A. p. 784,29 = Cram. Anecd. Oxon. 4. 320, 5. *ἀλλὰ καὶ ἐν Πυθοῖ ἦν λέβης ἐπιγεγραμμένος· Ἀμφιτρύων—Τηλεβοάων.* Anth. Pal. VI 6. *εἰς τὸν ἐν Πυθοῖ λέβητα ἐκ τοῦ Ἡροδότου.*

ἀνέθηκεν ἐὼν Herod. Anth., *λαβὼν* schol.; *ἔων* Jacobs »ab antiquo verbo *ἔω* eo", *νέων* Bentley, *ἰὼν* Maffei (ars crit. lap.), *κίων* alii, *ἐῶν* Salmasius (duar. inscript. vet. Herodis Attici expl. p. 54), *ἐόντ'* vel (*ἀνέθηκ'*) *ἀνιὼν* Valckenaer, (*ἀνέθηκ'*) *ἐλθὼν* Bähr, *νεῶν* O. Müller, *λεὼ* Valla, *θεῷ* Stein, *ἔχων* vel *ἑλὼν* Meineke, hoc probat R. Unger qui fuse de his coniecturis virorum doctorum egit in Zeitschr. f. Altert. 1844 p. 233. cf. epigramma Anth. app. 382 *Φοῖβε, ἄναξ, δῶρόν τοι ἑλὼν τόδ' Ὅμηρος ἔδωκα* (sic secundum Tzetz. schol. in Lycophr. 1 p. 258 Mü.); oraculum ap. Athen. 6. 232 f. *πάγχρυσον φέρε κόσμον ἑλὼν ἀπὸ σῆς ἀλόχοιο;* epigramma hexametrum esse negat Bergk opusc. 2. 399, ubi proponit *ἀνέθηκεν νηῶν* vel *νήσων;* idem quae Griech. Liter. 1. 385 hariolatur, de iis infra agam.

Σκαῖος πυγμαχέων με ϝεκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐΰσκόπῳ Ἀπόλλωνι
μουναρχέων ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Herod. 5. 60. *ἕτερος δὲ τρίπους ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ λέγει· Σκαῖος—ἄγαλμα. Σκαῖος δ' ἂν εἴη ὁ Ἱπποκόωντος, εἰ δὴ οὗτός γε ἐστὶ ὁ ἀναθεὶς καὶ μὴ ἄλλος τωὐτὸ οὔνομα ἔχων τῷ Ἱπποκόωντος, ἡλικίην κατὰ Οἰδίπουν τὸν Λαΐου.* c. 61. *τρίτος δὲ τρίπους λέγει καὶ οὗτος ἐν ἑξαμέτρῳ· Λαοδάμας—ἄγαλμα. ἐπὶ τούτου δὴ τοῦ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους μουναρχέοντος ἐξανιστέαται Καδμεῖοι.* Anth. Pal. VI 7. 8. bis lemma: *εἰς τὸν αὐτὸν ἐκ τοῦ αὐτοῦ.* Suid. s. v. *τεῒν* affert prioris epigrammatis versum secundum.

I. v. 1. *σκαιὸς* Anth. *ἑκηβόλῳ* codd. v. 2. Imitatus est Lucian. Anth. XVI (app. Plan.) 164 *Σοὶ μορφῆς ἀνέθηκα τεῆς περικαλλὲς ἄγαλμα* *τεῒν* est dativus pronominis = *σοι* cuius *ϝεκηβόλῳ Ἀπόλλωνι* est appositio cf. Kaibel E G 275 *ἥ τεῦξεν ἐμοί* et vetustum Euboeicum titulum I G A 7. . . *ὅ*]*ς μ' ἐποίησεν τόνδε β*[*όλον κτλ.* Adverbium esse =

τεῖνδε (Theocr.) τεῖδε τῆδε vult Bergk (gr. Liter. 1. 204 et ad Theogn. 467), sed vocalium diaeresis quomodo in hoc adverbio explicari possit nescio.

II. v. 1. αὐτὸν codd., αὐτὸς Schweigh., αὐτόθ' Stein; ὦτον Bgk. quod num pro ὠτωέντα usurpari possit dubito; neque intellego quomodo *OFATON* — sic enim, non *ΩTON* in lapide scriptum fuisse contendit — metro adaptetur.

In libro qui inter Aristotelia scripta fertur *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* traditur c. 133 repertum quondam esse in Aenianum finibus lapidem inscriptione insignem: quam cum indigenae explicare nequirent, Athenas marmor deportari placuisse, ubi spes esset viros literatos titulum interpretaturos esse. Eo cum iter facerent legati, ab hospitibus Thebanis eos ductos esse in Ismenii Apollinis templum: in hoc enim facile peti posse literarum illarum interpretationem, cum ibi aliquot prisca donaria similibus characteribus essent dicata. Quae donaria intellegendos eosdem tripodes esse quos Herodotus in Ismenio[1]) viderat, scite animadvertit Maffeius in arte crit. lap. p. 22. Idem primus quoad sciam eis quae de aetate titulorum Herodotus tradit fidem derogavit et epigrammata sacerdotum fraude haud multo ante illius tempora ficta tripodibusque incisa contendit.

Et Amphitryonis quidem titulum subditicium esse consentiunt viri docti; verum de reliquis duobus tripodibus Maffei opinionem quam Wolf Westermann alii amplexi sunt, reiecit Bergk (gr. Lit. 1. 204 et ad Theogn. 467) et epigrammata quae inter vicesimam et tricesimam olympiada scripta essent non ad fabulosos illos heroes, sed ad pugilem quendam Scaeum et ad Laodamanta functum magistratu cui *μόναρχος* nomen esset spectare contendit. Ego in Scaei quidem epigrammate Bergkium rem acu tetigisse censeo; cum enim ipse Herodotus ambigat utrum tripus referendus sit ad priscum illum Hippocoontis filium necne, inde id certe

---

1) Nempe falsa tradunt grammatici et schol. Anthol. *Πυθοῖ* dedicatos esse tripodes, quod ex dei nomine efficiebant.

licet colligas non adeo celebratum illum fuisse fabulis ac narrationibus ut propter eum falsus tripus cum epigrammate a sacerdotibus subditus esse putandus esset. Neque quidquam obstat quin Scaeum Duridis Samium, quem pugilem memorat Pausanias 6. 13. 5,[1]) hunc tripodem ob victoriam dedicasse censeamus.

De Laodamantis vero titulo Bergkii sententiae non item possum accedere. Neque enim unquam Thebis iis temporibus quorum certam habemus memoriam, μόναρχος magistratus nomen exstitit, alterius autem civitatis μουναρχέοντα[2]) propterea quod hoc ipso munere functus esset, Thebano Apollini dono tripodem dedisse veri est dissimillimum. Huc accedit quod cum nomine dorico (Λαοδάμας) ionica forma μουναρχέων non convenit. Immo certe nemo alius significatur quam quem dicit Herodotus, Laodamas, Eteoclis filius idemque Thebanorum rex. Cuius nomini cum tripodem suppposituri essent sacerdotes et idoneam circumspicerent inscriptionem, donarii in eodem templo collocati titulo ad eam conficiendam abuti non dubitaverunt. Neque enim negari potest id quod obiter monuit Jacobs (animadv. ad Anth. gr. III 1 p. 372) falsarium quam diligentissime etsi parum feliciter Scaei epigrammatis legisse vestigia. Quid? Laodamantis nomen cum non totidem syllabis contineretur quot verba Σκαῖος πυγμαχέων, lacunam ille versificator vocabulis τρίποδ' αὐτὸς inserendis inepte explevit et cum pronominis αὐτὸς syllaba posterior ante ϝεκηβόλῳ corripi nequiret, epitheton ἐϋσκόπῳ in eius substituit locum: cave enim putes ob ullam aliam causam ἐϋσκόπῳ pro ϝεκηβόλῳ poetam dixisse, quod adiectivum Mercuri et Dianae nomini nec vero Apollinis adponi memini.

Neque minus falli videtur Bergk in iis quae de metro versiculi Amphitryonis tripodi inscripti disserit (Gr. Liter.

1) Σκαῖος Schub.-Walz, καὶ ὥς codd.

2) Exstitit magistratus μόναρχος in una Co insula, de quo egit Dittenberger in ind. Hal. 1885/86 p. XIII sqq.

gesch. 1. 385). Cum enim Herodotus secundum et tertium epigramma ἑξαμέτρῳ τόνῳ scripta esse dicat, inde sequi contendit ut in primo poetam alio metro usum esse putaverit. Atque corruptum esse versum etiam ex Pausania colligi posse qui eundem tripodem memoraverit in Boeoticis 9. 10. 4: ἐπιφανὴς δὲ μάλιστα (sc. ἐν τῷ Ἰσμηνίῳ) ἐπί τε ἀρχαιότητι καὶ τοῦ ἀναθέντος τῇ δόξῃ τρίπους ἐστὶν Ἀμφιτρύωνος ἀνάθημα ἐπὶ Ἡρακλεῖ δαφνηφορήσαντι. Inde inscriptionem prisco quodam metro conscriptam hanc fere fuisse: Τὠπόλλωνι | Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν | ὑπὲρ τοῦ παιδὸς | ἑλὼν ἀπὸ Τηλεβοάων. Sed minime licet, quod de metro nihil adnotat Herodotus, inde id concludere quod conclusit Bergk; immo cum secundum et tertium distichum non imparibus uterentur versibus quae forma Herodoti aetate in eiusmodi titulis vulgo valebat, sed ex duobus hexametris constarent, mentionem illam fecit de metro, quam omittere par fuit in primo epigrammate quippe quod monostichon non discreparet ab aliorum monostichorum consuetudine. Neque video quomodo Pausanias ex titulo qualem restituisse sibi videtur Bergk, Ἡρακλέα δαφνηφορῆσαι colligere potuerit neque omnino verisimile unum atque eundem tripodem ob victoriam de Telebois reportatam et propter Herculis daphnephoriam dicatum esse. Quid vero mirum duos tripodes a sacerdotibus Thebanis subditos esse Amphitryoni? Quem quantopere cives coluerint, videre licet ex inscriptione quam servavit Pausanias 9. 11. 1.[1])

1) Thebae praeter cetera oppida ornatae fuisse videntur inscriptionibus quae ad fabulosa tempora spectabant: ad tres de Amphitryone titulos unumque Laodamantis accedunt Lini epitaphium (schol. Σ 570 sq. Jacobs app. Anth. 390 cf. Maass Hermes 23 p. 303), titulus de beatorum insulis (Tzetz. ad Lycophr. 1194 ἐπιγέγραπται τάδε·)

Αἵδ' εἰσὶν μακάρων νῆσοι, τόθιπερ τὸν ἄριστον
Ζῆνα θεῶν βασιλῆα Ῥέη τέκε τῷδ' ἐνὶ χώρῳ.

inscriptio denique Oncae Minervae templi (schol. Eur. Phoen. 1062

IV. De Phidolae eiusque liberorum epigrammatis.

I. *Οὗτος Φειδόλα ἵππος ἀπ' εὐρυχόροιο Κορίνθου*
ἄγκειται Κρονίδᾳ μνᾶμα ποδῶν ἀρετᾶς.

Anth. Pal. VI 135. *Τοῦ αὐτοῦ* (i. e. *Ἀνακρέοντος*) *ἀνάθημα τῷ Διῒ παρὰ Φειδόλα.* cf. Paus. 6. 13. 9. *Ἡ δὲ ἵππος ἡ τοῦ Κορινθίου Φειδώλα ὄνομα μέν, ὡς οἱ Κορίνθιοι μνημονεύουσιν, ἔχει Αὔρα, τὸν δὲ ἀναβάτην ἔτι ἀρχομένου τοῦ δρόμου συνέπεσεν ἀποβαλεῖν αὐτήν, καὶ οὐδέν τι ἧσσον θέουσα ἐν κόσμῳ περί τε τὴν νύσσαν ἐπέστρεφε, καὶ ἐπεὶ τῆς σάλπιγγος ἤκουσεν ἐπετάχυνεν ἐς πλέον τὸν δρόμον, φθάνει δὲ ἐπὶ τοὺς ἑλλανοδίκας ἀφικομένη καὶ νικῶσα ἔγνω καὶ παύεται τοῦ δρόμου. Ἠλεῖοι δὲ ἀνηγόρευσαν ἐπὶ τῇ νίκῃ τὸν Φειδώλαν καὶ ἀναθεῖναί οἱ τὴν ἵππον ταύτην ἐφιᾶσιν.*

v. 1. *Αὔρα Φειδόλα* Junghahn de Sim. Cei epigr. p. 13. v. infra v. 2. *ἀρετάς* cod.

II. *Ὠκυδρόμας Λύκος Ἴσθμι' ἅπαξ, δύο δ' ἐνθάδε νίκαις*
Φειδόλα παίδων τ' ἐστεφάνωσε δόμους.

Paus. 6. 13. 10. *Ἐγένοντο δὲ καὶ τοῦ Φειδώλα τοῖς παισὶν ἐπὶ κέλητι ἵππῳ νῖκαι, καὶ ὅ τε ἵππος ἐπὶ στήλῃ πεποιημένος καὶ ἐπίγραμμά ἐστιν ἐπ' αὐτῷ· Ὠκυδρόμας— δόμους. οὐ μὴν τῷ γε ἐπιγράμματι καὶ τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς ὀλυμπιονίκας ὁμολογεῖ γράμματα· ὀγδόῃ γὰρ ὀλυμπιάδι καὶ ἑξηκοστῇ καὶ οὐ πέρα ταύτης ἐστὶν ἐν τοῖς Ἠλείων γράμμασιν ἡ νίκη τῶν Φειδώλα παίδων.*

v. 1. *ὠκυδρόμοις* Camerarius. Fortasse equi Corinthiaci nomen in testae inscriptione IGA 20, 50 *Ταχυδρό[μας* non *Ταχυδρό[μος* legendum est. | *Ἴσθμια πύξ* PcMAgLb. | Liberior est verborum structura: ad *Ἴσθμι' ἅπαξ* enim subaudiendum est *νικῶν*, nisi malis scribere *δὶς δ' ἐνθάδε νικῶν* v. 2. *Φειδώλα* codd.; sed nomen *Φειδόλας (φειδο-*

ἐπεγέγραπτο δὲ τῷ ἱερῷ τούτῳ·)
Ὄγκας νηὸς ὅδ' ἐστὶν Ἀθήνης, ὅν ποτε Κάδμος
εἵσατο· βοῦν δ' ἱέρευσεν ὅτ' ἔκτισεν ἄστυ τὸ Θήβης.

λαος) esse manifestum est. v. CIG III p. XVII n. 5 titulum Thasium; itaque ut metro adaptaret Bergk PLG III⁴ p. 282 coniecit *δύο δ' ἐνθάδ' ἐνίκη (sc. νίκας) Φειδόλα αἷς παίδων* vel *δύο δ' ἐνθάδε νίκας (sc. ἐνίκη) Φ. αἷς παίδων.* Quae ellipsis nullo pacto ferenda est neque firmatur eo quod Bergk brachylogiam offendere negat: exempla enim erant afferenda. Sed meo iudicio non est cur syllabas *Φειδο-* propter metri necessitatem spondei vice usurpatas esse miremur. Plurima enim inveniet exempla neglectae in propriis nominibus prosodiae si quis Kaibelii syllogen eo consilio perlustrabit (cf. Allen, greek versification in inscriptions passim, J. Menrad in censura libelli Useneri de Graecorum versibus Wochenschr. f. kl. Philol. 1887 n. 51 col. 1575). Periegeta igitur cum epigramma Corinthiacis litteris scriptum ionicis characteribus redderet, propter metrum litteram *O* in Phidolae nomine *ω* significare falso putavit. | *παίδων* codd. *παίδων τ'* Bergk qui quod antea existimaverat *Φειδόλα παίδων δόμους* et Phidolam et filios significare posse ipse recte reiecit.

Pausanias cum locis, quos supra adscripsi duo equorum monumenta memoret, unius tantum affert epigramma: alterius vero quoque titulum nobis servatum esse et exstare in Anthologia Palatina VI 135 plerique viri docti consentiunt.[1]) Atque Junghahn ut et hoc prioris monumenti epigramma (I) congruum redderet Pausaniae narrationi quae victricem equam *Αὔρα* nomine memorat, et pronomen *οὗτος* quod in illius aetatis inscriptionibus non in usu fuisse sibi persuasit, expelleret, in lapide fuisse coniecit *Αὔρα* (*Φειδόλα ἵππος κτλ.*) quod paullatim in *αὔτα* et *οὗτος* corruptum esset. Quam coniecturam etsi Kaibel in censura Junghahniani programmatis (Jahrb. f. Phil. 105 p. 794) falsam esse arguit — etenim exstat epigramma in parte Anthologiae, quae quippe ex Meleagro sumpta secundum ordinem litterarum digesta est — Kalkmann nuper in invectiva illa quam scripsit in Pausaniam[2]) amplexus esse videtur, cum dicat ex solo epigrammate periegetam nomen equi petivisse, quod vero

1) Lemmati *τοῦ αὐτοῦ* i. e. *Ἀνακρέοντος* num fides sit habenda, incertum.

2) „Pausanias der Perieget“ p. 16.

Corinthii sibi huius rei auctores fuissent (*ὡς οἱ Κορίνθιοι μνημονεύουσιν*) id eum plane commentum esse. Sed quî tandem, licet equi nomen proprium invenisset in lapide, totam quam affert certaminis narrationem inde potuit divinare? Eiusmodi sane argumentis quae paene taedet refutare ista quam Kalkmann aliique de Pausania proferunt sententia minime firmatur. Immo ne novisse quidem epigramma periegetam vel certe obiter tantum legisse, inde apparet quod in hoc genus equi masculinum, in Corinthiorum narratione femininum esse videmus. Quem dissensum facile ex eo explicaveris quod quae Pausanias narrat nihil est nisi Corinthiorum fabula; titulus autem vel ob id ipsum genuinus est quod novicius procul dubio illam fabulam respexisset. Non audiendus igitur Kaibel, qui nullo alio argumento nisi uno pronomine *οὗτος* allato[1]) distichum subditicium esse iudicat (Jahrb. f. Philol. 105. 794).

Idem Kaibel alterius monumenti epigramma (II) recens fictum esse iudicavit (Rh. Mus. 28 p. 458 not. 2), quod duas Olympiae victorias Phidolae filios reportavisse praedicaret, Eleorum indices olympionicarum unam solam teste Pausania memorarent. Sed insculptum fuisse epigramma in marmore clarissimis verbis testatur periegeta. Neque vero inferioribus temporibus quemquam operam dedisse ut priscis quibusdam Phidolae filiis alteram insuper affingeret victoriam et hunc titulum lapidi incideret, consentaneum est: sexto vero vel quinto saeculo non potuit quisquam impune in monumento Olympiaco tale inscribere mendacium. Immo id erat quaerendum nonne aliter dissensum qui est inter epigramma et indices victorum removere possimus. Et facillime sane cum Bergkio particula *τ'* post *παίδων* inserta omnia expediuntur. Altera enim victoria, quam frustra periegeta quaesivit in indicibus, non erat Phidolae filiorum, sed Phidolae ipsius quam vicit eodem quo (postea) filii equo. Hanc Phidolae victoriam

1) De pronomine *οὗτος* illi aetati minime alieno vide quae dixi p. 10.

eandem esse ad quam epigramma supra tractatum Anth. VI 135 spectat, Lycum igitur revera nomen fuisse equo, quem Auram audivisse fabulati essent Corinthii, sententia est Bergkii. Cui ego minime accedere possum; etenim uni equo duo exstructa esse monumenta Olympiae nullam omnino habet veritatis speciem. Immo nihil obstat quin Phidolae duas statuamus equo victorias, unam illo, cui Auram nomen indiderunt Corinthii. alteram Lyco.

Quae si recte disputavi, verisimile inde fit non ipsum Pausaniam descripsisse epigramma, sed auctoris alicuius exemplum esse secutum, in quo aut illius aut librarii culpa littera T excidisset. Quod etsi concessero, ideo non in eorum turbam deferar qui Pausaniam omnia fere ex vetustioribus scriptoribus hausisse neque ea de quibus agit loca vidisse contendunt. Etenim minime mirum est — neque quemquam quin haec ita se haberent, dubitare oportuit — si periegeta operam non dedit ut eosdem rursus perscrutaretur lapides, qui iam ab aliis erant descripti, sed ex aliis auctoribus inscriptiones petivit. Ut qui hodie *περιηγήσεις* compositurí sunt, ferme non ipsi singulas aedificiorum partes et ornamenta quaeque alia visu digna sunt, denuo literis consignant, sed ea solum quae in novissimis de his rebus libris omissa sunt, in margine notabunt, sic etiam veteres periegetas permulta ex prioribus auctoribus sumpsisse eaque obiter recognovisse eo magis putandum est quo minus illis dedecori vertebatur alios scriptores vel verbo tenus exscribere. Quam autem viam ac rationem in componendis libris Pausanias adhibuerit ex loco colligere possumus ubi de Cydiae scuto disserit (10. 21. 5). Memoraverat auctor quem periegeta sequitur, epigramma Cydiae clipeo inscriptum qui esset in Jovis Liberatoris templo Atheniensi; ibi cum Pausanias neque clipeum neque epigramma invenisset, quonam tempore ille sublatus esset quaesivit et quae quaerendo compererat, de eis rettulit. Quo exemplo tota quam adhibuerit ratio illustrari mihi videtur. Sed longius id persequi hoc quidem loco supersedendum censui.

V. De Atheniensium epitaphio Chaeronensi.

Οἵδε πάτρας ἕνεκα σφετέρας εἰς δῆριν ἔθεντο
ὅπλα καὶ ἀντιπάλων ὕβριν ἀπεσκέδασαν.
μαρνάμενοι δ' ἀρετῆς καὶ δείματος οὐκ ἐσάωσαν
ψυχάς, ἀλλ' Ἀίδην κοινὸν ἔθεντο βραβῆ,
οὕνεκεν Ἑλλήνων ὡς μὴ ζυγὸν αὐχένι θέντες
δουλοσύνης στυγερὰν ἀμφὶς ἔχωσιν ὕβριν.
γαῖα δὲ πατρὶς ἔχει κόλποις τῶν πλεῖστα καμόντων
σώματ', ἐπεὶ θνητοῖς ἐκ Διὸς ἥδε κρίσις·
μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν·
ἐν βιοτῇ μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Dem. 18. 289. *Λέγε δ' αὐτῷ τουτὶ τὸ ἐπίγραμμα, ὃ δημοσίᾳ προείλεθ' ἡ πόλις αὐτοῖς ἐπιγράψαι, ἵν' εἰδῇς, Αἰσχίνη, καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ σαυτὸν ἀγνώμονα καὶ συκοφάντην ὄντα καὶ μιαρόν. Λέγε· ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ οἵδε—ἔπορεν.* (290) *Ἀκούεις, Αἰσχίνη, [καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ] „μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν“ ; οὐ τῷ συμβούλῳ τὴν τοῦ κατορθοῦν τοὺς ἀγωνιζομένους ἀνέθηκε δύναμιν, ἀλλὰ τοῖς θεοῖς*[1]).

Egerunt post Jacobsium (Animadv. ad Anth. Gr. III 2, 214 et Anthol. Gr. app. 266) de hoc epigrammate praeter oratoris editores Voemelium, Weilium, Blassium, Lipsium alios: Foertsch, comm. crit. de locis nonnullis Lysiae et Dem. 1821 p. 51. Graefe, Mém. de l'ac. de Petersbourg. 1822 VIII 661. Goettling, ind. lect. Jen. 1846 = ges. Abh. I 147. Froehlich, Abhandl. d. b. Akad. phil. Kl. 1850 p. 77. Funkhaenel, Philol. 6. 565. Osann, commentar. seminarii Giessensis specimen sextum p. 10. Duentzer, die homer. Beiwörter etc. p. 48. Thudichum, Rh. Mus. 12. 296. J. Bernays, ibid. 14. 321 = ges. Abh. 2. 276. Hartung, gr. Elegiker 1, 363. Karsten,

1) § 290. *καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ* utpote manifestam dittographiam secluserunt Reiske et Spengel. | *καὶ ἐν—κατορθοῦν* seclusit Kirchhoff ap. Kaibel EG 27 | *μηδὲν* Σ pr. A^1D; *τὸ μηδὲν* vel *ὡς τὸ μηδὲν* deteriores libri | *θεοῦ* A^1, *θεῶν* rell.

Verslagen en mededeelingen d. k. Akad. Afdeel. letterkunde 4 (1859) 21—45 (cf. Philol. 14. 413). O. Ribbeck, Neues Schweizer Mus. 2 (1862) 147. Kaibel, de monumentorum aliquot graecorum carminibus. Bonn 1871. 1—18. L. Spengel, Sber. d. bay. Ak. phil. Kl. 1875 I 287. Weil, Révue de philol. 1 (1877) 25. Piccolomini, Estratti inediti dai codici greci. Pisa 1879 p. 102. Sitzler, N. Jahrb. f. Phil. 119. 816. Bergk, PLG. II⁴ 331. Clemm, N. Jahrb. f. Philol. 127. 15. Richter, de epigrammate Chaeronensi, Progr. Malchin 1883. Vitelli, public. del reg. istituto di Fir. sez. fil. 2 p. 180. F. W. Schmidt, Studien zu den gr. Tragikern u. z. Anthol. 3. 191.

Exstat epigramma in Marciano s. XI, deest in libris editionis Atticianae Parisino (*Σ*), Laurentiano (*Λ*) pr., Augustano (*A*¹). ‖ v. 1. *ἕνεκα* codd.; *μὲν ἑκὰς* Weil, ne idem dicatur quod in v. 5 *οὕνεκεν Ἑλλήνων* neve nulla omnino sit mentio loci ubi pugnatum sit. Nec vero multum lucrabimur, extra fines Atticos cives cecidisse edocti; hoc enim semper fere fieri solebat. | *εἰς δῆριν ἔθεντο ὅπλα* = *ὡπλίσαντο* cf. Demosth. Mid. 145 (Kaibel p. 5) Lycurg. Leocr. 43. ‖ v. 3. *μαρνάμενοι δ' ἀρετῆς καὶ δείματος* codd. quae verba Thudichum sic vertit: „im Gefecht um Furcht und Tapferkeit"; Foertsch (qui *λήματος* recipit), Funkhaenel, Froehlich, Spengel alii hyperbaton esse statuunt ut genetivi a nomine *βραβῇ* pendeant. Eam constructionem ut tueretur, attulit Froehlich Xenoph. hell. 7. 3. 7 *ᾔδειν γὰρ ὅτι καὶ ὑμεῖς τοὺς περὶ Ἀρχίαν καὶ Ὑπάτην, οὓς ἐλάβετε ὅμοια Εὐφρονι πεποιηκότας, οὐ ψῆφον ἀνεμείνατε, ἀλλ' ὁπότε πρῶτον ἐδυνάσθητε, ἐτιμωρήσασθε.* Sed hunc accusativum multo facilius verbo finito etsi longe distanti iungere licet quam genetivos illos ac ne ipse quidem Froehlich probasse videtur hanc constructionem, cum etiam hoc proponeret: *μ. δ' ἀρετῆς καὶ δείματος — οὐ γὰρ ἔσωσαν ψυχάς, ἀλλ' — Ἀίδην κτλ.* Ego nihil mutavi: nam etsi non quarti saeculi poetam, tamen inferioris aetatis cui adscribo epigramma auctorem eiusmodi hyperbato usum esse non negaverim. cf. Foertsch l. l. Lobeck ad Soph. Ai. 475. Contra alii alia coniecerunt: *μαρνάμενοι δ' ἀ. καὶ λήματος* (ut *ἀμφισβητεῖν* et *ἐναντιοῦσθαί τινος*) Valckenaer, Foertsch, Ribbeck alii (*μ. δ' ἀρετῇ καὶ λήματι* Wunderlich in edit. orationis), *μ. δ' ἀ. καὶ δείγματος* Victorius (Goeller Dion. Hal. de comp. p. 100), *μ. δ' ἀ. διὰ δείγματος* Schaefer, *μ. δ' ἀ. κατὰ δείγματος* Jacobs, *μ. δ' ἀρετῆς κατὰ δείματος* (sed *ἀρετῆς* dativus in Attico titulo ferri nequit) Graefe, *μ. δ' ἀρετῆς περὶ τιμῆς* Goettling, *μ. δ' ἀρετῇ καὶ ἀδείματοι* Clemm, eandem in coniecturam incidit F. W. Schmidt qui multa exempla verbi *μάρνασθαι* cum dativo iuncti congessit (cf. etiam Kaibel EG 242), *μ. δ' ἄρεως καὶ δείματος* Sitzler, Weil („n'ont pas voulu conserver leur vie en se sauvant du

tumulte effrayant de la bataille", ubi *ἐκ* omitti non poterat; Soph. Ant. 1162 *σῴζειν πόλιν ἐχθρῶν* quem locum affert Weil, vertendus est 'urbem servare ab hostibus' neque vero 'ex hostium turba'), *μ. δ' ἄρεως τε καὶ αἵματος* Weil in altera orationis editione, *μαρναμένοιν δ' ἀρετῆς καὶ δείματος* Blass, *μαιόμενοι δ' ἀρετῆς ἰσοδαίμονος* Bergk in prioribus editionibus, nunc genuina se verba expedire non posse confitetur, *μνησάμενοι δ' ἀρετῆς καὶ λήματος* Passow, Karsten (coll. N 48 *ἀλκῆς μνησαμένω), ἀρνύμενοι δ' ἀρετὴν δίχα δαίμονος* Bernays, *ἀρνύμενοι δ' ἀρετὴν ἐκ χείματος* vel *πήματος* Duentzer ‖ **v. 4.** *βράβην* codd., *βραβῆ* Schneider cum *βράβης* pro *βραβεύς* nusquam exstet. De accusativo contracto v. G. Meyer gr. Gramm.[2] § 332. ‖ **v. 5 u. 6.** Tertium distichum secundo praeponit Ribbeck. ‖ **v. 5.** *ζυγὸν αὐχένι θέντες* codd., quod haud facile 'se iugo subdere' significare possit, sed potius alii iugum imponere. cf. Alcaeus App. Plan. 5 *ζυγὸν αὐχένι θήσων*, Hesiod. opp. 815 *ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι θέντες*. Qua de causa Froehlich in enuntiato *θέντες—ἔχωσιν* non *Ἕλληνες* subiectum esse censet, sed *οἵδε* v. 1 iunctisque *ζυγὸν δουλοσύνης* distichum sic vertit: „auf dass nicht, hätten sie selben das Joch der Knechtschaft auf den Nacken gelegt, sie ringsumher verhassten Hohn zu ertragen haben". Quam interpretationem refellere haud opus est. *ζυγῷ αὐχένα δόντες* Weil, *ζυγὸν αὐχένι θεῖσαν* (part. aor. sc. *ὕβριν*) Voemel, *ζυγὸν αὐχένι θέντων* sc. *ἀντιπάλων* Spengel (sed *θέντων* nemo non iungat cum *Ἑλλήνων*), *ζυγὸν αὐχένι δύντες* Bergk, *ζυγῷ αὐχένα θέντες* Vitelli (coll. Eur. Hec. 376 *αὐχέν' ἐντιθεὶς ζυγῷ), ζυγὸν αὐχέν' ἐφέντες* vel *ζυγῷ αὐχέν' ὑφέντες* Clemm. ‖ **v. 6.** *ἔχοιεν* Brunck. ‖ **v. 8.** *σώματ'* codd., *λείψαν'* Bgk., quia nil nisi cinis mortuorum Athenis sepultus esset. ‖ post *κρίσις* Froehlich omnem interpunctionem tollere et *ἐστὶ* v. 9 cum *ἐπεὶ ἥδε κρίσις* iungere vult („da von Zeus den Sterblichen das beschieden ist keines Wunsches zu verfehlen bei den Göttern und (durch sie) alles glücklich zu vollenden im Leben"). Hoc si recte sentiret, non potuit Demosthenes § 290 versum nonum una cum *ἐστίν* afferre. Neque magis Ribbeckio et Voemelio assentiri possum qui usu ac vi pronominis *ὅδε* neglecta verba *ἥδε κρίσις* ad ea quae praecedunt referenda esse putant. Immo recte plerique editores post *κρίσις* distinguunt legemque a Jove datam in ultimo disticho inesse contendunt. ‖ **v. 9 et 10.** Omnes ante Goettlingium post *κατορθοῦν* interpunxerunt, quorum partibus ego quoque accedo v. p. 29 n. 1. Primus Goettling, quem Spengel aliique qui genuinum iudicant epigramma secuti sunt, *ἐν βιοτῇ* (in hominum vita) versui nono adnexit ut subiecti vice non *θεοί*, sed *θνητοὶ* fungi contenderet (iidem *ἔπορον* pro *ἔπορεν* in textum receperunt). Dici igitur, donum deorum esse homines nil incassum

petere et omnibus in rebus secunda uti fortuna.' v. 9. κατορθοῦν transitive usurpatum esse (menar tutto a buon fine) putat Vitelli (etiam Flach Gesch. d. gr. Lyrik 2. 439), quod abhorret a verbi usu cf. inprimis § 288. v. 10. ἐν βιοτῇ codd. αἰχμητὴν Weil, qui teste Lipsio in editione altera ἐν βροτέᾳ μοίρᾳ ἔκ τι φυγεῖν ἔπορον proposuit; αἰχμητῇ vel ὁπλίτῃ Vitelli, qui idem conicit: Βοιωτῇ γῇ κῆρ' οὔτι φυγεῖν ἔπορον „è prerogativa degli dei riescire in tutto e menar tutto a buon fine; ma nella terra beotica essi non concessero di scampar di morte", ubi ineptissime Boeotia omnibus aliis rebus (tutto) opponitur; ceterum frustra graeco in textu particulam adversativam („ma") requiras | φεύγειν AM ' ἔπορεν M ut Juppiter subiecti vice fungatur, contra Bernays οὔτι subiecti locum obtinere vult; ἔπορον alii codd. dett., μερόπων Graefe, ἕτερον Reiske.

Cum Karsten Batavus anno huius saeculi undesexagesimo primus epigramma in deterioribus tantum codicibus servatum ut subditicium notavisset, Kaibel duodecim annis post in eius locum aliud ut genuinum et ab oratore recitatum substituit, carmen dico Anthologiae Palatinae VII 245:

Ὦ Χρόνε παντοίων θνητοῖς πανεπίσκοπε δαῖμον,
ἄγγελος ἡμετέρων πᾶσι γενοῦ παθέων·
ὡς ἱερὰν σώζειν πειρώμενοι Ἑλλάδα χώραν
Βοιωτῶν κλεινοῖς θνήσκομεν ἐν δαπέδοις.

Quod epigramma in codice quidem Gaetulico cuidam adscribitur, sed ex inscriptionis reliquiis (Kaibel E G 27 = CIA II 3. 1680), quas huc pertinere vir sagacissimus intellexit, secundae quarti a. Chr. saeculi parti est vindicandum. Atque ut tolleret quod huic opinioni refragari videretur, versum μηδὲν—κατορθοῦν Demosthenem § 290 non ex carmine modo recitato repetere censuit, sed quasi locum communem ex vetere quodam poeta afferre, quem ipsum Simonidem esse scholion in Gregorium Nazianzenum paulo post a Kirchhoffio (Hermes 6. 487) editum nos docere videbatur. Postea huic sententiae ipse diffisus Kirchhoff verba Demosthenis § 290 καὶ ἐν αὐτῷ τούτῳ—κατορθοῦν ex subditicio carmine interpolata esse statuit; qua „egregia coniectura" Kaibel EG 27 omnes difficultates sublatas esse existimat.

Sed ut ab hac coniectura exordium sumam, obliti sunt ni fallor viri docti spurium illud quod dicunt epigramma antiquitus in Demosthenis editionibus locum non habuisse neque exstare nisi in parte codicum deterioris notae. Unde apparet ex epitaphio sive genuino sive adulterino, quod multo post grammaticorum aliquis textui inseruit, interpolatorem nunquam haec verba, quae omnibns in codicibus extant, addere potuisse. Nec minus quam antea proposuerant, coniectura reicienda est. Cum enim in optimis libris § 290 verba *ὡς* vel *ὡς τὸ* ante *μηδὲν ἁμαρτεῖν* non legantur, versus ille a Demosthene non ex vetere quodam poeta haustus esse potest, sed ex ipso epigrammate modo recitato sumptus sit necesse est.[1]) Anthologiae igitur carmen nullo modo id potest agnosci epitaphium, quod orator recitandum curavit, cum neque illum versum contineat neque causidicus vel sagacissimus ex his distichis possit elicere sententiam salutem militum non a consilii auctore, sed a deis pendere; quam sententiam inesse epigrammati citato paulo infra vult Demosthenes.

Quid igitur? Epitaphio erat opus et cum inter homines doctos nemo fere praeter Kirchhoffium et Piccolominium ut Kaibelio assentiretur a se impetrare posset, carmen illud quod in deterioribus Demosthenis codicibus traditur tueri et quae Karsten[2]) et Kaibel ut illa aetate indigna reprehenderant, aut coniecturis aut interpretatione tollere conabantur. Qui ut permulta coniecerunt, quae cuncta fere collegi, ita pauca vel adeo nihil probabiliter emendaverunt. Inprimis *βραβῆ*

1) Etsi Gregorii scholiastae (cuius verba infra p. 28 apponam) nimiam fidem tribuere nolim — etenim idem p. 489 Euripidis versum novae comoediae adscribit — tamen concedendum est nihil obstare quominus Simonidis versus aliquis in posterioris aetatis epitaphium receptus sit.

2) Karstenii argumenta, quibus repetendis supersedeo, firmavit et nova quaedam addidit Richter in programmate Malchinensi (1883), ignarus Kaibelii et Spengelii disputationum.

pro *βραβέα* forma in titulo Attico publice inscripto nullo modo ferenda est.[1]) Ut autem genuinum evincerent epigramma viri docti a paenultimo potissimum versu profecti sunt. Cum enim Demosthenes in § 290 — haec est eorum argumentatio — hunc versum sic interpretetur ut a deo pendere dicat milites fautricem nancisci fortunam (*τῷ θεῷ τὴν τοῦ κατορθοῦν τοὺς ἀγωνιζομένους ἀνέθηκε δύναμιν*), ad mortales, non ad deos infinitivos *κατορθοῦν* et *μηδὲν ἁμαρτεῖν* referendos esse velle oratorem. Hanc autem eius interpretationem stare non posse, si versum ipsum legamus, immo quemvis hexametrum solum ita intellecturum esse, ut dei omnibus in rebus felices praedicentur; itaque illam interpretationem ita tantum stare posse, si verba *ἐν βιοτῇ* „in hominum vita“ paenultimo versui adiuncta sint. Atqui nunquam falsarium tam callidum futurum fuisse ut additis *ἐν βιοτῇ*, quae Demosthenes ut modo audita omittere potuisset, rectum versus sensum efficeret, qui plane alius futurus erat omissis. Ergo ultimum distichum genuinum esse, et si ultimum, idem valere in ceteris (cf. inprimis Weilium Revue l. l.).

Quae argumentatio non satis gravis mihi videtur esse. Concedendum est quemlibet *μηδὲν — κατορθοῦν* omissis *ἐν βιοτῇ* aliter ac Demosthenem intellecturum esse — et aliter intellexerunt omnes veteres, qui versum laudaverunt,[2]) omnes-

1) v. Meisterhans Grammatik der attischen Inschriften² p. 109. Idem docet p. 178 *οὕνεκεν* in Atticis titulis imperatorum Romanorum demum aetate inveniri.

2) Respiciunt ad hunc versum sive Demosthene sive Simonide auctore usi: Aristid. I p. 592. *(οἱ θεοὶ) οἷς τοσοῦτον περίεστιν ὥστ' οὐ μόνον αὐτοὶ τἀγαθὰ πάντα κέκτηνται, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις αὐτοὶ νέμουσι· νέμουσι δὲ οὐχ ὅνπερ αὐτοὶ κέκτηνται τρόπον, ἀλλ' ὅσοις τὰ κράτιστα τῶν ἀνθρώπων ἔδοσαν, τὰ πλείω κατορθοῦν, οὐ πάντ' ἔδοσαν.* (etiam II 298 et 331 rhetor ad *πάντα κατορθοῦν* respicit, quos locos attulit Spengel.). Liban. ep. 1554 (p. 705 ed. J. Chr. Wolf 1738): *ἀλλ' ἐκείνῳ μὲν ἐκ τοῦ ἐπιγράμματος ἀπολογία τις ἔσται τοῦ λέγοντος τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θεοῦ.* Themist. or. 22 p. 335 D. *ἐπεὶ δὲ τὸ μηδὲν ἁμαρ-*

que recentioris aetatis grammatici ante Goettlingium —, tamen potest fieri, ut quis hoc enuntiatum de hominibus interpretetur, neque certe omisisset orator duo ista verba, si eis sententiam, quam expressurus erat, luculentiorem edere potuisset. Immo versus *μηδὲν — κατορθοῦν* a Demosthene ex epitaphio recitato repetitus eundem, si quid video, sensum habuit quem inesse contendunt omnes veteres scriptores; verum Demosthenes ipse utpote causidicus verba suum in usum convertit sensumque eis subdidit, qui si vera fatemur longe abhorret a Graecorum hominum opinionibus.[1]) Nam quis mehercle veterum dicere ausus est de mortalibus eos deis adiuvantibus n i h i l incassum petere o m n i b u s q u e in r e b u s secunda uti fortuna? Longe distant loci quos Bergk confert, cum ibi non de sempiterna continuaque hominum felicitate

---

τάνειν ἔξω τῆς φύσεως κεῖται τῆς ἀνθρωπίνης — οὐ γὰρ πείθομαι ἐγὼ τοῖς ἐκ ποικίλης . . . ., ἀλλὰ τάχα δὴ τὸ ἐπίγραμμα ἀληθέστερον, ὃ Ἀθήνησιν ἐπιγέγραπται ἐν τῷ τάφῳ τῷ δημοσίῳ· καὶ γὰρ τοῖς θεοῖς μόνοις τὸ πάντα κατορθοῦν ἀπονέμει. — S c h o l. a d G r e g o r. N a z. in J u l i a n. 1 p. 169 D ed. Piccolomini-Kirchhoff Hermes VI 487 sq. (Piccolomini Estratti etc. p. 6): *τὸ ἀναμάρτητόν φησιν ὑπὲρ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, τὸ δὲ μικρόν τι πταίσαντας ἐπανάγεσθαί τε καὶ διορθοῦσθαι ἀνθρώπων ἐστὶν καλῶν τε κἀγαθῶν, λέγει δὲ καὶ Σιμωνίδης, εἷς δ' οὗτος τῶν θ' λυρικῶν, ἐν ἐπιγράμματι ῥηθέντι αὐτῷ ἐπὶ τοῖς Μαραθῶνι πεσοῦσι τῶν Ἀθηναίων τὸν στίχον τοῦτον· μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστι θ ε ο ῦ καὶ πάντα κατορθοῦν.* S u i d. s. v. *σ υ γ γ ν ώ μ ο ν α. Ὀρθῶς καὶ εἴρηται τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν θ ε ο ῦ ἐστι καὶ πάντα κατορθοῦν, ἄνθρωπος δὲ οὐκ ἂν εἴποι ἐπ' οὐδενὶ ὅτι μὴ πείσεται τόδε τι.* P h a l a r. ep. 126. *τὸ μηδὲν ἁμαρτεῖν εἰκότως ἴσως καὶ δικαίως θ ε ο ῦ νομίζεται.* J u s t i n i a n. c o d. l i b. 1. tit. 17, 2 § 13. Omnium habere memoriam et penitus in nullo peccare divinitatis magis quam mortalitatis est, quod et a maioribus dictum est. — Neve mireris quod etiam ei scriptores quos ex Demosthene hausisse certum est, Aristides, Themistius, Libanius (quem exemplari codici Augustano cognato usum esse lectio *θεοῦ* (v. p. 22 n.) ostentat) ab huius interpretatione recedunt: quibus idem accidit quod recentioribus ante Goettlingium grammaticis, ut ea quae orator ex versu efficit, prorsus neglegerent. v. Spengel p. 309.

1) Aesch. Ag. 531 *τίς δὲ πλὴν θεῶν ἅ π α ν τ' ἀπήμων τὸν δι' αἰῶνος χρόνον;* cf. Richter p. 8.

agatur. Neque id praetermittendum, Goettlingii Weiliique interpretationem si sequeremur, ultimum distichum ineptissimum fore in epitaphio scripto in victos fusosque milites. Quivis enim putaret, solam mortem milites non effugisse, ceteris in rebus autem omnia prospere eis successisse.

Refutata igitur Weilii argumentatione pedibus eo in Karstenii sententiam adulterinum censentis epigramma. Confectum est inferioribus temporibus a grammatico quodam qui versum a Demosthene ex genuino epitaphio nunc deperdito citatum suo carmini intexuit, quemadmodum etiam is, qui eadem in oratione testimonia aliaque documenta subdidit, praecedentibus insequentibusque oratoris verbis usus est.[1])

Restat ut pauca dicamus de Ánth. VII 245, quod carmen secundum marmoris reliquias sine dubio epitaphium est Atheniensium qui altera quarti a. Chr. saeculi parte in Boeotia cum barbaris (*ἱερὰν Ἑλλάδα*) pugnantes ceciderunt. Ne Lamiaco bello monumentum tribuamus, sexcentae secundum Kaibelium repugnant causae. Ego unum suppeditare possum: etenim proelium quod hoc bello in Boeotia (ad Plataeas) commissum est tam parvi fuit momenti tamque paucos Athenienses in eo occubuisse putandum est, nullo modo ut ii seorsum humarentur. Nempe solebant uno funere, qui intra annum ceciderant, sepeliri, cf. Thuc. 2. 34, CIA I 433. Neque versus privati monumenti titulum esse patiuntur, id quod statuit Bergk (p. 333 n. 1), ad publicum sepulcrum epigramma pertinere non posse ratus, cum fragmentum ad Olympieum quod longe abest a Ceramico inventum esset. Sed nullus fere publicorum sepulcrorum titulus in situ i. e. in Ceramico inventus est, v. Wachsmuth, die Stadt Athen I 267. Itaque Kaibel rectissime perspexit epigramma ad Chaeroneam

1) Utrum falsarius tam callidus fuerit ut vocabulis *ἐν βιοτῇ* adiunctis eam, quam Demosthenes inesse voluit, sententiam magis declararet an ille nihil adiciens integrum versum foetui suo intexuerit, in medio relinquo. Sed hoc verisimilius esse duco.

spectare neque video quid obstet quin et hoc et alterum carmen deperditum quod Demosthenes recitavit tumulo Atheniensium inscriptum fuerit.[1]) Atque mille cum ibi mortui essent, horum nomina non uni cippo inscribi potuerunt, sed sine dubio singulae tribus singulis utebantur cippis, cf. CIA I 433 in quo lapide Erechtheidos solius mortui enumerantur et polyandrii Thespiensis cippos (Kirchhoff, Studien[4] p. 140 sq.). Demosthenes quidem epitaphium quod urbs publice insculpi iussit recitavit (ὃ *δημοσίᾳ ἡ πόλις προείλεθ' αὐτοῖς ἐπιγράψαι*); at poterant certe tribus quoque suorum nominibus titulum addere; poterant etiam equites suis proprium erigere tumulum quod eidem fecere bello Corinthiaco. v. Köhler, Monatsber. d. Berl. Ak. 1870 p. 272 sqq. Immo ne id quidem a probabilitate abhorret ipsam civitatem plura carmina monumento insculpenda curasse: veluti tria exstant diversa epigrammata in columna, quae in honorem militum ad Potidaeam mortuorum posita est, Kaibel EG 21 (= CIA I 442). Itaque mirari desinamus duo fuisse epitaphia militum, qui eodem in proelio ceciderunt.

VI. De Midae epitaphio.

Χαλκέη παρθένος εἰμί, Μίδεω δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.
ὄφρ' ἂν ὕδωρ τε νάῃ καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ
[καὶ ποταμοὶ πλήθωσι, περικλύζῃ δὲ θάλασσα,
ἠέλιος δ' ἀνιὼν λάμπῃ λαμπρά τε σελήνη],
αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ
ἀγγελέω παριοῦσι, Μίδης ὅτι τῇδε τέθαπται.

Plato Phaedr. p. 264 C. Σω.: *εὑρήσεις τοῦ ἐπιγράμματος οὐδὲν διαφέροντα,* ὃ *Μίδᾳ τῷ Φρυγί φασίν τινες ἐπι-*

1) Hanc suam opinionem Schoell praeceptor carissimus mecum communicavit.

γεγράφθαι. Φαι.: ποῖον τοῦτο καὶ τί πεπονθός; Σω.: ἔστι μὲν τοῦτο τόδε· χαλκῆ—τέθαπται. ὅτι δ' οὐδὲν διαφέρει αὐτοῦ πρῶτον ἢ ὕστατόν τι λέγεσθαι, ἐννοεῖς που, ὡς ἐγῷμαι. Ps. Herodoti vita Homeri p. 5, 24 West. (Ὅμηρος) ὡς Κυμαῖοι λέγουσι τῷ Φρυγίης βασιλῆι Μίδῃ τῷ Γορδίεω, δεηθέντων πενθερῶν αὐτοῦ, ποιεῖ τὸ ἐπίγραμμα τόδε τὸ ἔτι καὶ νῦν ἐπὶ τῆς στήλης τοῦ μνήματος τοῦ Γορδίεω ἐπιγέγραπται· χαλκῆ—τέθαπται. Certamen 252 Nietzsche, 250 Rz. οἱ Μίδου τοῦ βασιλέως παῖδες Ξάνθος καὶ Γόργος παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἐπίγραμμα ποιῆσαι ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ πατρὸς αὐτῶν, ἐφ' οὗ ἦν παρθένος χαλκῆ τοῦ Μίδου θάνατον οἰκτιζομένη. καὶ ποιεῖ οὕτως· χαλκῆ—τέθαπται. (Ex Herod. et Certamine insertum est Homeri epigrammatis, n. 3.) [Dio Chrysost.] 37 p. 120 R (vol. II p. 304 Dind.) ὁ δὲ ποιητὴς ἄλλως ἐκόμπαζεν ὁ τοῦτο τὸ ἐπίγραμμα ποιήσας, ὅ φασιν ἐπὶ τῷ Μίδα σήματι γεγράφθαι· χαλκῆ—τέθαπται. ἀλλ', ὦ παρθένε, τοῦ μὲν ποιητοῦ ἀκούομεν, σὲ δὲ ζητοῦντες οὐχ εὕρομεν οὐδὲ τὸ σῆμα τοῦ Μίδου. Diog. Laert. I. 6. 89. Καὶ τὸ ἐπίγραμμά τινες τὸ ἐπὶ Μίδᾳ τοῦτόν (i. e. Κλεόβουλον) φασι ποιῆσαι· χαλκῆ—τέθαπται. φέρουσι δὲ μαρτύριον Σιμωνίδου ᾆσμα ὅπου φησί· (n. 57 Bgk. cf. infra p. 34). οὐ γὰρ εἶναι Ὁμήρου τὸ ἐπίγραμμα, πολλοῖς ἔτεσι προέχοντος, φασί, τοῦ Μίδα. Anth. Pal. VII 153. Εἰς Μίδαν Ὁμήρου· οἱ δὲ Κλεοβούλου τοῦ Λινδίου· τὸ σχῆμα κύκλος. χαλκῆ—τέθαπται. (Anth. Plan. p. 219 St.) Joh. Philopon. in Aristot. anal. post. p. 34 b. (schol. ed. Brandis p. 217 A): κύκλον δέ φησι (Ἀριστοτέλης) τὰ ἔπη ἤτοι τὰ ἐπιγράμματα τὰ οὕτω πεποιημένα, οὐχ ὡς τῇ κατὰ τὸ τέλος τοῦ πρώτου στίχου λέξει ἀκολουθούσης τῆς ἀρχῆς τοῦ δευτέρου καὶ τούτῳ τοῦ τρίτου καὶ ἐφεξῆς, ἀλλ' ὡς δύνασθαι τὸν αὐτὸν στίχον καὶ ἀρχὴν καὶ τέλος ποιεῖσθαι οἷόν ἐστι καὶ τοῦτο· χαλκῆ—κεῖμαι. λέγει δὲ Ἡρόδοτος ἐν τῷ βίῳ τοῦ Ὁμήρου εἶναι τὸ ἐπίγραμμα εἰς Μίδαν τῶν Φρυγῶν βασιλέα. Secundum versum laudant [Longin.] de subl. 36. 2; Sext. Empir. hy-

pot. 2. 37 (p. 35 Bk.), adv. math. p. 327 Bk., Liban. I p. 519 R.; quintum et sextum Suidas. s. v. *Αὐτοῦ* et *Μίδας*.

v. 1. om. Herod. codd. R^{ab} L^{b} et Hermiae codex Platonicus | *χαλκὴ* Anth., *χαλκῆ* rell., *χαλκέη* Brunck. | *Μίδεω* Herod. cod. B, *Μίδα* Plato (nisi quod B *μίδᾳ*) Diog. Anth. Dio, *Μίδου* Cert. Herod. codd. rell. Philop. | *ἐνὶ* (sic) *σήματι κεῖμαι* Philop., *ἐπὶ σήματος ἧμαι* Cert. **v. 2.** *ὄφρ'* Plat. Liban., *ἔστ'* Herod. (L^{b} *σῶτ'*) Cert. Dio. Diog. Anth. Longin., *εὖτ'* ed. Diog. Lugd. et Antv. (v. Röper Philol. 3. 43) Plan. | *νάῃ* Plat. Sext. hypot. Liban. Cert. Anth. Diog. Dio, *ῥέῃ* Herod. codd. RP (*ῥέοι* ABML), Longin. Sext. adv. math. | *τεθήλοι* Herod. ABML, *τεθήλει* eiusdem R. Ad clausulam conf. Hom. *η* 114. **v. 3 et 4.** om. Plato Anth. Dio; immutato ordine exhibet Diog. **v. 3.** om. Herod. *καὶ ποταμοὶ ῥέωσιν ἀνακλύζῃ τε θάλασσα* Diog. (ubi *γε ῥέωσιν* Meibom., *ῥείωσιν* Röper Philol. 3. 43). **v. 4.** om. Plan. | *ἠέλιος τ'* Il.; corr. Westermann | *λάμποι* Herod. codd. ABL, Diog. ed. Colon. Lugd. Antv., *φαίνῃ* Cert. *λαμπρή* Goettl., codicum lectionem *λαμπρά* defendit G. Herm. op. 6. 153, cf. Rzach W. St. 5. 184 **v. 5.** *πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ* Anth. Suid. Cert. Diog. Dio, *πολυκλαύτου ἐπὶ τύμβου* Plat. Herod., cf. Kaibel 539, 3 *πολυκλαύστῳ ἐπὶ τύμβῳ*, Hecker comm. de Anth. (1843) p. 260 affert A. P. VII 476, 3. 652, 7. 48, 3. **v. 6.** *ἀγγελέω* Plato Herod. (nisi quod L^{b} *ἀγγέλλω*, quod probare studet Hermann) Dio Diog. Anth. Suid., *σημανέω* Cert. cf. Kaibel 206, 3 *προσημαίνω παριοῦσιν* | *Μίδης* Herod. Cert., *Μίδας* rell.

Socrates ille Platonicus in Phaedro Lysiae de amore declamationem perstringens reprehendit auctorem quod initium fecerit ab iis sententiis quibus concludere debuit orationem neque ullam omnino viam ac rationem secutus esse videatur in singulis componendis partibus (p. 264 A: *ἄρχεται ἀφ' ὧν πεπαυμένος ἂν ἤδη ὁ ἐραστὴς λέγοι.* 264 B: *σὺ δ' ἔχεις τινὰ ἀνάγκην λογογραφικήν, ᾗ ταῦτα ἐκεῖνος οὕτως ἐφεξῆς παρ' ἄλληλα ἔθηκεν;*). Nil igitur differre eius declamationem ab epigrammate quod in Midae Phrygis sepulcro nonnulli dicant inscriptum esse: huius enim utrum aliquam partem primo an ultimo posueris loco nihil interesse ad significationem. Liquet igitur exhibere Platonem exemplum eius figurae, quae postmodo *κύκλος* apud rhetores audit (v. Anthologiae et Philoponi testimonia). Quam cum respuant duo illi versus

qui in aliorum scriptorum codicibus post alterum hexametrum insequuntur, fieri non posse perspicuum est ut eos noverit philosophus.[1]) Nam si consulto non integrum carmen apposuisset, sed suo arbitrio hunc vel illum versum omisisset, misere profecto claudicaret comparatio. Quamquam aliter censet Joannes Schmidt in dissertatione de Ps. Herodoti vita Homeri (diss. phil. Hal. 2 p. 169), ubi nulla omnino causa allata hunc in modum quaerit „num Platonis relatio eiusmodi esse velit quae strictam fidem inculcet“. Quod non alio ille consilio contendit quam ut primum quoque versum, quem omnes codices exhibent a philosophi textu genuino alienum esse demonstret. Hoc enim sublato demum cycli figuram luculenter expressam esse. Cuius sententiae suae poterat Schmidt veteris commentatoris testimonium afferre, Hermiae dico qui ad Phaedri locum hunc in modum disserit (p. 188 ed. Ast in calce Phaedri): *ἔξεστι τῷ πρώτῳ ὡς δευτέρῳ χρήσασθαι καὶ οὐδὲν διαφέρει τοῦ ἐπιγράμματος οὗ ἐκτέθειται ἐν τοῖς ῥητοῖς. ἔξεστι γὰρ τῶν τριῶν στοίχων* (scribe *στίχων*) *τῶν ἐν τῷ ἐπιγράμματι, ὃν ἂν ἐθέλῃς, προτάξαι ὅπερ οὐκ ἔστιν εἱρμοῦ οὐδὲ τάξεως· ὅθεν τινὲς τὰ τοιαῦτα ἐπιγράμματα τρίγωνα καλοῦσιν, ἐπειδὴ ὅθεν ἂν ἐθέλῃς δύνασαι ἄρξασθαι.* Quid igitur? Nonne ipse adversario arma quibus me impugnet trado? Ipsa haec verba Platonem tres solos versus novisse nonne videntur docere? Quae si quis inde praepropere concluserit, temeritatis non immerito arguatur. Neque enim aliud quidquam ex hoc

1) Eos corrigendos esse censet Schleiermacher ad Plat. Phaedri versionem p. 383: „Was die beiden vor den zwei letzten vom Platon ausgelassenen Zeilen betrifft, so bedürfen sie wahrscheinlich einer kleinen Veränderung, um auch in das Gesetz des Gedichtes zu passen“. Sed quomodo corrigendos putaverit, omisit adnotare vir doctissimus neque quisquam probabilem coniecturam proponere possit. Rectissime vero idem: „Es ist aus mehreren Gründen nicht zu vermuten, dass Platon in dem Gedicht diese Eigenschaft nur zufällig sollte aufgefunden, noch weniger, dass er sie ihm sollte angedichtet haben“.

scholio efficitur quam quinto p. Chr. n. saeculo codices fuisse quosdam Platonis, in quibus primus versus esset omissus idque eadem fortasse ex causa qua Schmidt eum eiciendum censet. Antiquitus vero tetrastichon in philosophi libris fuisse existunt testes locupletissimi: Meleager enim et Favorinus, quem tricesimam septimam ex Dioneis orationibus conscripsisse volunt, Platone nempe auctore usi quattuor versus exhibent. Licet igitur cycli figura clarius esset expressa si epigramma constaret ex secundo quinto sexto versu, tamen grammaticae leges minime obstant quominus ordine versuum immutato (6. 5. 2) etiam primum versum subiungamus; neque num eleganter diceretur, sed num per loquendi usum dicere liceret, respiciebant qui id genus lusus excogitabant. Immo Plato ob eam ipsam rem epigramma attulisse videtur quod in eo primus versus idem dicit quod ultimus (*Μίδεω ἐπὶ σήματι κεῖμαι — Μίδης ὅτι τῇδε τέθαπται* cf. Philoponi locum quem inter testimonia recepi); hoc enim ipse reprehendit in Lysia (p. 264 A: *ἄρχεται ἀφ' ὧν πεπαυμένος ἂν ἤδη ὁ ἐραστὴς λέγοι*).

Quodsi his expositis quattuor versus genuina epigrammatis forma comprehendit ab eaque afuit alterum distichon, ne licebit quidem Cleobulo Lindio carmen adscribere, cui adscribit Diogenes Laertius documento usus hisce versibus Simonideis frgm. 57 Bgk.:

Τίς κεν αἰνήσειε νόῳ πίσυνος Λίνδου ναέταν Κλεόβουλον
ἀενάοις ποταμοῖς ἄνθεσί τ' ειαρινοῖσιν
ἀελίου τε φλογὶ χρυσέᾳ λιπαρᾶς τε σελάνας
καὶ θαλασσαίαισι δίναις ἀντία θέντα μένος στάλας;
ἅπαντα γάρ ἐστι θεῶν ἥσσω· λίθον δὲ
καὶ βρότεοι παλάμαι θραύοντι· μωροῦ φωτὸς ἅδε βουλά.

Inde dubium esse non potest, quin Cleobulus verbis, quae perstrinxit Simonides, cuiusdam hominis cippum tot annos duraturum pronuntiaverit quot mansura essent flumina et plantae, sol et luna marisque turbines. Simile quiddam lau-

datur in Midae epitaphio, sed cum id quattuor versibus contineri supra demonstratum sit, in quibus nihil memoratur praeter aquam et arbores, hi quidem Cleobuli esse non possunt.[1]) Immo aut fallor aut inferiore aetate grammaticorum aliquis cum similitudinem quandam inter Midae epitaphium et Cleobuli carmen, quod ex sola Simonidis cavillatione noverat, intercedere animadvertisset, non diversa esse carmina ratus, illi ut Simonidis verbis responderet, alterum distichon inseruit, minime curans sic tertio versu idem pleniore ore dici quod iam secundi verbis *ὕδωρ τε νάῃ* continetur.[2])

Quanta est veterum auctorum dissensio in textu epigrammatis tradendo, tantus omnium in eo est consensus, quod in sepulcro Midae Phrygum regis versus insculptos esse contendunt. Quid quod Ps. Herodotus sua aetate eos in cippo exstare ait! Neque quisquam fere eorum, qui de epigrammate egerunt,[3]) ullam dubitationem movit: veluti Bergk ad eum Midam qui una et vicesima olympiade irrumpentibus in Lydiam Cimmeriis mortuus est, referendum esse putavit, Duncker vero ad eiusdem nominis regem qui circa annum 600 (ol. 45) vixisset.[4]) Quibus ego accedere non possum: etenim

1) Saepius cippus ut *ἀθάνατος* mortalibus opponitur, v. Ps. Simon. 123 Bgk., Kaibel EG 21 et 70.

2) cf. Hiller, Rh. Mus. 33. 524. Neque potuit Simonides si inscriptionem qua aeneum monumentum omnia alia superare praedicatur, irrisisset, de solo lapide (v. 5) loqui. — Bergk gr. Lit. 1. 799 Cleobuli versus, quos Ceus poeta perstringit, titulum sepulcralem ignoti cuiusdam Rhodii hominis esse censet assentiturque Jo. Schmidt (l. l.), qui et Midae epitaphii auctorem et Cleobulum vetustum quoddam populare carmen imitatione expressisse putat.

3) Unus quod sciam dubitavit Sittl, gr. Lit.-gesch. 1. 239: „Es ermangelt indes so sehr aller persönlichen Beziehungen, dass man billig daran zweifeln darf, ob es lange vor der attischen Periode, in welcher das Epigramm seinen epideiktischen Charakter gewann, gedichtet sei".

4) Exstant in valle Doghanlu plura Phrygiae regum sepulcra, in quorum uno phrygia lingua sed litteris graecis epitaphium in-

Phrygum regis epitaphium non potuit non phrygia lingua conscriptum esse neque regem iacere sub tumulo in regis titulo potuit omitti. Non audiendus igitur Ps. Herodotus quod suis temporibus inscriptionem exstare dicit, cum id facile effinxerit ex versibus qui monumentum aere perennius fore praedicant. Immo epigramma confectum esse conicio a sophista quodam quinti saeculi qui cum exemplum rhetorici illius cycli requireret Midae celeberrimo nomine hanc ad rem usus est. Qui num idem commentus sit Homerum Cumis hos versus iussu Midae filiorum, Xanthi et Gorgi, fecisse, in medio relinquo: sed haud inepte quis coniectet eundem qui *γρίφους* illos Certaminis ab Homero profectos esse finxit (v. Rohde, Rh. M. 36 p. 566), tales quoque lusus principi poetarum tribuisse.

VII. De Arcadionis epitaphio.

Τοῦ πολυκώθωνος τοῦτ' ἠρίον Ἀρκαδίωνος
ἄστεος ὤρθωσαν τᾷδε παρ' ἀτραπιτῷ
υἱῆες Δόρκων καὶ Χαρμύλος· ἔφθιτο δ' ὠνήρ.
ὤνθρωπ', ἐξ χανδὸν ζωροποτῶν κύλικας.

---

scriptum est Midae regis Gordii filii. Inter haec sepulcra positum quoque olim fuisse monumentum cum aenea illa virgine et graeco epigrammate sententia est Denckeri (Gesch. d. Altert. I[5] p. 454). Rathgeber (59 Silbermünzen der Athenaeer p. VIII) id quidem vidit non posse graeca verba in Midae sepulcro insculpta esse: immo Homeridam quendam Aeolum epigramma graece conscripsisse, quod in phrygiam linguam versum subter virginem aeneam insculptum esset: quam opinionem refellere supersedeo. — Ceterum adnotare liceat morem ex quo mulierum statuae sepulcris imponuntur etiam a Pausania memorari (8. 4. 9) — cf. Brückner, Ornament und Form der att. Grabstelen p. 35 — neque opus esse Sirenen (cf. Brückner p. 27—32) *χαλκῇ παρθένῳ* significari quod putat Flach, Gesch. d. gr. Lyrik p. 459, 4. Goettling (Ges. Abh. 1. 148) conicit nympham Ariadnae illi statuae Vaticanae consimilem in sepulcro impositam fuisse, murmure fontis ex urna, quam manu teneret, prosilientis consopitam: coniectura, opinor, speciosior quam verior.

Athen. 10. 436 d: ἔπινε δὲ πλεῖστον καὶ Ἀρκαδίων (ἄδηλον δ' εἰ ὁ Φιλίππῳ διεχθρεύσας) ὡς τὸ ἐπίγραμμα δηλοῖ, ὅπερ ἀνέγραψε Πολέμων (fr. 79 Preller) ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων· τοῦ—κύλικος. Ex Athenaei epitome (cf. Dindorf ad hunc locum) Eustath. ad Il. p. 746, 68: εἴρηκε δέ τις καὶ ῥῆμα ἐκ τοῦ ζωρὸν τὸ ζωροποτεῖν ἐπιγράψας οὕτω· τοῦ πολυκώθωνος τοῦτ' ἠρίον Ἀρκαδίωνος | ὃς θάνεν ἐκ χανδῆς ζωροποτῶν κύλικος. ἔνθ' ὅρα τὸ χανδῆς οὗ ἡ ἀρσενικὴ αἰτιατικὴ ποιεῖ τὸ χανδὸν ἐπίρρημα.

v. 2. ὀρθώσαντα δὲ A, ὤρθωσαν τᾶδε Musur., ὤ. τῆδε Kaibel, ὤγκωσαν Hecker comm. de Anth. I 13, sed cf. Anth. Pal. VII 198. 7 ὤρθωσεν σᾶμα | v. 3. ἔφθη ὁ δ' A corr. Schweigh. | ἀνήρ Dindorf. v. 4. ὤνθρωπ' Kaib., ἄνθρωπ' A | ἐκ χανδῆς ζωροποτῶν κύλικος Ath. Eust., sed χανδὸς adiectivum pravam esse formam recte contendit G. Curtius, Grundz d. gr. Etym.[5] 629, ἐκ ζωρῆς χανδοποτῶν κ. Schneider pessime, (ὦνερ, | ὤνθρωπος) χάλιδος ζωροποτῶν κύλικα Hecker, quam coniecturam num alibi latius id quod pollicitus est, firmaverit equidem nescio, εὐχανδεῖς ζ. κύλικας Lobeck parall. 1. 149, εὐχανδῆ ζ. κύλικα Kaibel quod tamen in textum recipere veritus est. Ego quid velit illud ex poculo grandi eum bibisse nescio; immo agitur quot cyathos biberit, cf. epigramma Callimacheum 37 quod infra memorabo ἡ δὶς ἐφεξῆς προποθεῖσα κύλιξ: quam ob rem scripsi ἓξ χανδὸν ζ. κύλικας.

De temporibus quibus vixerit Arcadio, ex versu tertio eius epitaphii quod propter insolitum mortis genus ipse de lapide descripsit Polemo, indicium aliquod erui potest. Etenim forma υἵηες non ante Apollonium Rhodium usitata esse videtur (v. G. Meyer, Griech. Grammatik[2] § 320) et convenit tertio a. Chr. saeculo,[1]) quod dialectum in epigrammate non integram servatam esse videmus: sed omnia eius vestigia delerentur si Kaibelium sequeremur τῆδε restituendum esse

---

1) Quodsi poeta Callimachi versus frgm. 109 Schn. καὶ γὰρ ὁ Θρηικίην μὲν ἀπέστυγε χανδὸν ἄμυστιν | ζωροποτεῖν, ὀλίγῳ δ' ἥδετο κισσυβίῳ (Athen. 442 f et 477 c, sed priore loco οἰνοποτεῖν codd.) imitatus est, ut G. Curtio (Grundz. d. gr. Etym.[5] p. 629) videtur, alteri tertii a. Chr. saeculi parti adscribendum est.

censentem. Formam enim τᾷδε non librarii cuiusdem arbitrio irrepsisse, sed genuinam tituli scripturam esse, ostendunt nomina utique Dorica: Δόρκων cuius exemplum exstat in inscriptione Argiva CIG 1120 (in Attica CIA III 2. 3130 coniectura tantum est Keilii), Χαρμύλος quod nomen occurrit in titulis Coo CIG 2503 (= Cauer del.[2] 158) et Halicarnassio CIG 2656, Ἀρκαδίων, Achivi illius Philippi inimici nomen (Athen. l. l. et 6. 249 c, Plut. de cohib. ira 9).

Doriensem fuisse Arcadionem aliud quoque fortasse accedet argumentum, cum duo alia quae cippis inscripta fuisse dicuntur epigrammata consideraverimus. Pergit enim Athenaeus p. 436 d: Ἐρασίξενον δέ τινα πεπωκέναι πλεῖστόν φησι τὸ ἐπ' αὐτῷ ἐπίγραμμα·

οὐ βαθὺν οἰνοπότην Ἐρασίξενον ἡ δὶς ἐφεξῆς
ἀκρήτου φανερῶς ᾤχετ' ἔχουσα κύλιξ.[1])

ἔπινε δὲ πλεῖστον καὶ Ἀλκέτας ὁ Μακεδών, ὥς φησιν Ἄριστος ὁ Σαλαμίνιος, καὶ Διότιμος ὁ Ἀθηναῖος. οὗτος δὲ καὶ Χώνη ἐπεκαλεῖτο . . ὥς φησι Πολέμων. Polemonis igitur testimonio utitur Athenaeus in Arcadione et Diotimo. Sed Preller nempe non curans utrum Erasixeni epigramma lapidi quondam inscriptum fuerit necne, id ipsum quod epigramma esset, satis esse duxit ut etiam quae de Erasixeno et Alceta tradit Athenaeus, Polemonis libello de epigrammatis per urbes collectis adiceret. Neque quidquam huic sententiae obstat si Aristi testimonium iam a periegeta memoratum esse iudicaveris. Sed id statuendum non ex lapide a Polemone descriptos esse versus; quod contendit Udalr. de Wilamowitz-Moellendorff Hermes 12. 346 not. inde varias

1) Genuinas lectiones exhibet Meleager in Anth. Pal. VII 454, ubi Callimachi nomen (ep. 37 Schn.) praefixum: τὸν βαθὺν et ἀκρήτου προποθεῖσ'. βαρὺν coniecit O. Schneider, ᾤχετ' ἑλοῦσα Valckenaer. Novit hoc epigramma Thyillus AP VII 223 . . ἡ τρὶς ἐφεξῆς εἰδυῖ' ἀκρήτου χειλοποτεῖν κύλικας.

Polemonis et Meleagri scripturas explicari posse ratus; neque vero deterrimus lapidum scrutator, ne dicam Polemo *στηλοκόπας* ΟΥ pro ΤΟΝ, ΦΑΝΕΡΩΣ pro ΠΡΟΠΟΘΕΙΣ(Α) legere poterat. Immo demonstrativum est vel potius irrisorium epigramma ut epitaphium quod in Timocreontem scripsit Simonides, ut epitaphium Philetae, ut multa Alexandrinorum poetarum.[1]) Et quid mirum Polemonem interdum etiam demonstrativa attulisse epigrammata?

Neque hoc igitur inscriptum unquam fuisse existimo neque aliud quod ex eodem periegetae libello tradit Athenaeus p. 442 e: *Πολέμων δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων περὶ Ἠλείων λέγων παρατίθεται τόδε τὸ ἐπίγραμμα·*

Ἦλις καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται· οἷος ἑκάστου
οἶκος, τοιαύτη καὶ συνάπασα πόλις.[2])

Immo haec epigrammata neque minus Diotimi Alcetaeque ebriositatem exempli causa allata esse puto a Polemone, cum de potatoribus ageret, quam in digressionem ni fallor eo ipso loco delapsus est quo Arcadionis titulum sepulcralem memoravit. Quae si recte disputavi inscriptionem in parti-

---

1) cf. inprimis Anth. Pal. VII 329 ubi Myrtas, bibax quaedam mulier, non sub tumulo sed sub cado condita esse fingitur. Non minus irrisoria sunt exempli gr. eiusdem libri 134. 223. 294. 353. 455. 456 alia.

2) Quod num lapidi inscriptum fuerit, ipse Hecker dubitavisse videtur, qui in comm. de Anth. I p. 22 haec disserit: „Non magnopere obnitar si quis haec propter argumentum librorum Polemonis ex quibus ducta sunt, ex lapide descripta habere malit, ut ea tantum inscriptionis parte vel particula usus sit Athenaeus qua Eleorum mores notabantur, reliqua omiserit. Et potuit iis in inscriptione non minus aptus esse locus quam his Leonidae versibus AP. VII 654. *Αἰεὶ ληϊσταὶ καὶ ἁλιφθόροι οὐδὲ δίκαιοι Κρῆτες· τίς Κρητῶν οἶδε δικαιοσύνην;*" Quibus verbis si assentiremur, non poterant versus in Eliaco lapide insculpti esse: at Polemo eos in particula quae erat de Eleis memoraverat.

cula de Eleis epigrammatis exhibitam esse (*ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων περὶ Ἠλείων λέγων*), Eleum igitur fuisse Arcadionem censendum est.

VIII. De Boidii Charetis uxoris epitaphio.

Ἰναχίης οὐκ εἰμὶ βοὸς τύπος οὐδ' ἀπ' ἐμεῖο
κλήζεται ἀντωπὸν Βοσπόριον πέλαγος.
κείνην γὰρ τὸ πάροιθε βαρὺς χόλος ἤλασεν Ἥρης
ἐς Φάρον· ἥδε δ' ἐγὼ Κεκροπίς εἰμι νέκυς.
εὐνέτις ἦν δὲ Χάρητος, ἔπλων δ' ὅτ' ἔπλωεν ἐκεῖνος
τῇδε Φιλιππείων ἀντίπαλος σκαφέων.
Βοΐδιον δὲ καλεῦμαι ἔθ' ὡς τότε· νῦν δὲ Χάρητος
εὐνέτις ἠπείροις τέρπομαι ἀμφοτέραις.

Hesych. Mil. FHG IV p. 151: *Ἔνθα* (i. e. prope Chrysopolim) *δὴ τὴν ἑπομένην αὐτῷ γυναῖκα νόσῳ βληθεῖσαν ἀποβαλὼν* (sc. Chares) *κατέθηκεν ἐν τάφῳ ἀναστήσας αὐτῇ βωμὸν καὶ κίονα σύνθετον ἐν ᾧ δάμαλις δείκνυται ἐκ ξεστοῦ λίθου ἀνακειμένη. οὕτω γὰρ ἐκείνη τὴν ἐπωνυμίαν ἐκέκλητο, ἥτις διὰ τῶν ἐγγεγραμμένων στίχων μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς διασώζεται χρόνων. εἰσὶ δὲ οἱ στίχοι οὗτοι· Ἰναχίης—ἀμφοτέραις.* Hesychium fere ad verbum exscripsit Codinus de orig. Const. p. 10 Bonn. Dionys. Byz. frgm. 66 (t. II p. 92 Geogr. gr. min. ed. Müller): In hoc promontorio (sc. prope Chrysopolim) existit columna lapidis albi, in qua exstat Bos, Charetis imperatoris Atheniensium conjux, quam hic mortuam sepelivit. Inscriptio autem significat sermonis veritatem; at illi qui vanam reddunt historiam, putant antiquae bovis statuam, aberrantes a veritate. Inscripti enim in columnae basi hi versus sunt: *Ἰναχίης—ἀμφοτέραις.* Anth. Pal. VII 169: *εἰς τὴν δάμαλιν τὴν ἱσταμένην πέραν Βυζαντίου ἐν Χρυσοπόλει ἐπὶ τοῦ κίονος.* (Anth. Plan. p. 224 St. *εἰς τὴν πέραν Κωνσταντίνου πόλεως δάμαλιν.*) Ex An-

thologia hausit Suidas qui affert s. v. ἀντωπεῖ finem vers. 1 et versum secundum et s. v. *Βοίδιον* versum 7 et v. 8 primum vocabulum. Constantin Porphyrog. de themat. II 12 (p. 63 Bonn): *δύο δέ εἰσι Βόσποροι, εἷς μὲν ὁ Κιμμέριος, . . . ἕτερος δ' ἐν Βυζαντίῳ. . . . . μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὸ ἐπίγραμμα τοῦ κίονος τῆς ἀντιπέραν γῆς Χρυσοπόλεως, ἐν ᾧ μαρμαρίνη δάμαλις ἵδρυται, φάσκον οὕτως· Ἰναχίης—ἀμφοτέραις.* in Stephano Byz. s. v. *Βόσπορος* librariorum vitio excidit, ex Constantino supplevit Meineke.

v. 1. *Ἰναχίης βοὺς οὐκ εἰμὶ τύπος οὐδ' ἀπ' ἐμεῖο Βοσπόριον ἀντωλασεν πὸν κέκληται πέλαγος* Constant. v. 3. *ἤγαγεν* Anth.; omisit Dion. Byz. | v. 4 sqq. Valde corruptos exhibet Dion. Byz.: *εἰς Φάρον· οὔ γε ἐγὼ . . ἦν Χάρητος, ἔπλεον ὅτ' ἐπλώθει ἐκεῖνος. . . βοίδιον δ' ἤκουον τότε,* reliqua recte. | *Φάρον*] *πάφον* Const. cod. A | *ἅδε δ' ἐγὼ* Anth., *ἥδε δ' ἐγὼ* Plan. et Hesych. Miles. cod. Par., *ἥδε ἐγὼ* Hes. codd. rell. et Constant. cod. C (*ἡ δὲ ἐγὼ* Codin., ut videtur), *ἅδε ἐγώ* Const. A. | v. 5. *ἦν δὲ*] *ἅδε* Anth. at in marg. *ἦν δὲ* | *ἔπλων*] *ἔπλουν* Const. cod. A | *ἔπλωεν*] *ἔπλοεν* Const. A; *πλόεν* eiusdem C. v. 7. *βοίδιον δὲ καλεῦμαν ἐγὼ τότε* A. Pal., *βοΐδιον δὲ καλεύμην* (*καλεύμαν* cod. Par.) *τότε ἐγὼ* Suid., *β. δὲ καλεύμαν ἐγὼ* (om. *τότε*) Constant., *β. οὔνομα δ' ἦεν ἐμοὶ τότε* Hes. Mil., *β. δ' ἤκουον ἐγὼ τότε* Codin, Plan. et Dion. Byz. (qui *ἐγὼ* omisit); *οὔνομα δ' ἦν Δάμαλις τότε· νῦν δὲ χαραχθέν* | *βοίδιον* Heyne comm. Gotting. XI (1790/91) hist. philol. p. 6 not.; *β. δὲ καλεῦμ' ἐγὼ ὡς τότε* Jacobs, *β. δὲ καλεῦμαι ἔθ' ὡς τότε* Hecker comm. de Anth. gr. I p. 77 quod recepit Dübner i. e. et viva Boidion nominabar et nunc propter bovis statuam; verba *νῦν δὲ* etc., ut Jacobs optime animadvertit, praecedentibus non sunt opposita, sed novum quid addunt.

Initio huius saeculi Heyne longam dissertationem emisit „de Damalide Charetis uxore“[1]); fidem igitur habuit Hesychio Milesio Charetis ducis Atheniensium coniugis Damalidi nomen fuisse testanti. Sed et ex primo disticho ubi in voce *βοῦς* ludit poeta et ex ultimo[2]) facile videmus Boidion eam

1) comm. soc. reg. Gotting. recent. I (1808 1811) hist. et philol. p. 677 sqq.

2) Heyne quid ultimum velit distichon intellexisse non videtur:

audivisse mulierem quod nomen proprium etiam occurrit in Attico titulo (CIA II 3. 3557). Quodsi auctores *δαμαλίδος* statuam, non *βοιδίου* fuisse dicunt, inde explicandum quod buculae genus significare voluerunt. —

Atque hoc epigramma crepidini columnae inscriptum fuisse negat Maffeius (ars crit. lapid. p. 31), cum Constantino Porphyrogenneto, ex quo solo novisse videtur, omnem abroget fidem. Contra Heyne et Jacobs et qui de Charete egit Schaefer (Demosthenes u. s. Zeit II[1] 477) ignari illius sententiae ne minimam quidem dubitationem moverunt quin genuinus esset titulus sepulcralis. Attamen quominus quarto a. Chr. saeculo hos versus scriptos esse putemus, multa repugnant. Apparent enim cum epicae dialecti vestigia, inprimis *ἐμεῖο* v. 1. cuius pronominis Attica forma numeris includi non potest (reliquas Iadis formas *Ἰναχίης*, *Ἥρης*, *καλεῦμαι* corrigere licet), tum inferioris graecitatis vocabula ut *εὐνέτις* et *βοΐδιον* pro *βοίδιον* (CIA II 3. 3537 cf. Lobeck ad Phrynichum p. 86), pessimus denique aoristus *ἔπλων*. Adde ineptissimam loquacitatem et artificiosam illam priorum versuum locutionem. Quid enim sibi vult particula *γὰρ* in versu tertio? Quae cum debeat causam afferre antecedentis enuntiati, versus ita interpretandi sunt, ut Ionis hoc loco monumentum exstare nequeat quippe quae in Aegyptum migraverit. Quantae ineptiae, a quarto quidem saeculo alienae, sed profectae a grammatico quodam inferioris aetatis!

His argumentis quibus ut spurium putemus epigramma adducimur, accedit quod ne a veteribus quidem omnibus bovis typum ad Charetis uxorem relatum esse traditur;[1]) discimus

qui inde effecit antiquitus aeneum bovis quae Ionem repraesentaret, monumentum exstitisse, cuius in locum Chares coniugi marmoream statuam erexisset, quae utrum bovis an mulieris speciem habuisset, relinqueretur incertum.

1) Quamquam non mirum esset si *Βοιδίου* nomen bovis statua quasi expressum esset; nam ne quid dicam de leonibus haud raro

enim ex Dionysio Byzantio, fuisse quosdam qui vanam reddiderint historiam et bovis tantum antiquae statuam putaverint. Et exstat chronographi fragmentum, editum a Lambecio ex codice quodam Parisino (cf. Hesych. Miles. ed Orelli p. 233): *Ταύτης* (sc. *Ἰοῦς*) *ἐπώνυμος ὁ Βόσπορος ἐκλήθη τοῦ Βυζαντίου, ἀφ' οὗ στήλην ἔστησαν δαμάλεως ἐν κίονι πρὸς τὸ ἀντιπέραν τῆς ἀκροπόλεως Βυζαντίου.*[1]) Quod est verissimum. Prope Bosporum enim bovis statuam nihil aliud significare quam Ionem in bovem mutatam quivis videt. Quam rectam opinionem ut impugnaret, ineptus quis inferiorum temporum grammaticus doctrina sua perperam usus hos versiculos fecit; qui columnae inscripti fuisse videntur: neque enim quae complures tradunt scriptores plane conficta esse reor.

Appendix.

Kyriacus Anconitanus.

Fragmentum. 1.

Bandinius in Catalogo codicum graecorum bibliothecae Laurentianae II p. 579 sqq. ex quinti decimi saeculi codice duodecim edidit inscriptiones quas septem sequuntur epigrammata. Quae inscriptiones nescio quo pacto usque ad haec tempora neglectae atque abditae iacuerunt in catalogo: ut etsi novem iam aliunde innotuerunt, tamen tres quasi novas addere liceat Corpori inscriptionum et Kaibelii syllogae. Facile autem conicias scribam huius codicis titulos sumpsisse ex Kyriaci Anconitani commentariis. Quae coniectura firmatur

---

cippis Leontis cuiusdam impositis (Simon. ep. 102, Kumanudes *Ἀττ. ἐπιγρ. ἐπιτ.* n. 2402, Sybel, Skulpturen in Athen n. 146), exstat marmor ubi super decretum in honorem Moschi cuiusdam *μόσχου* anaglyphum exsculptum est v. Sybel l. l. n. 6430, CIA II 71.

1) Quem chronographum male confundere Boidion Charetis uxorem cum Ione putat Orelli.

libro Riccardiano 996, unde nuper Riemann (Bull. de corr. hell. I p. 81. 134. 286, supplevit Kaibel Rh. M. 34 p. 183 n. 215a[1]) et p. 200 n. 903a) epigrammata a Kyriaco in Asia et Cycladibus inventa edidit: inter quae eiusdem collectionis maior pars repetitur.

Est autem codex plut. 59 n. 17 in quo inde a p. 130 literis capitalibus exaratae locisque ubi inventae sunt, minusculis et rubris characteribus in margine adscriptis inscriptiones inveniuntur hae:[2])

1. *Ἐν Σμύρνῃ ἐν κυκλοτερεῖ μαρμάρῳ·*

p. 130. ΕΙΤΡΑΦΕΡΗΣΠΑΣΗΣΑΓΧΙΤΕΡ
ΜΟΝΑΚΥΚΛΟΝΟΔΕΥΣΗΣΟΥΠΟ
ΤΕΤΙΝΑΧΩΡΟΝΑΡΕΙΟΝΑΤΟΥΔΕ
ΝΟΗΣΗΣ · ΘΕΣΚΕΛΟΝΟΙΟΝΕΤΕΥ
ΞΕΝΑΓΑΚΛΥΤΟΣΙΩΑΝΝΗΣΚΥ
ΔΑΙΝΩΝΒΑΣΙΛΕΙΑΝΟΛΗΣΧΘΟ
ΝΟΣΕΚΡΟΘΙΩΝΓΑΡΤΕΡΠΩ
ΛΗΝΑΚΟΡΗΤΟΝΕΝΑΣΤΕΙΘΗ
ΚΕΝΟΜΗΡΟΥ

Εἰ τραφερῆς πάσης ἀ(λ)ιτέρμονα κύκλον ὁδεύσῃς,
οὔ ποτέ [μοί] τινα χῶρον ἀρείονα τοῦδε νοήσῃς
θέσκελον οἷον ἔτευξεν ἀγακλυτὸς Ἰωάννης,
κυδαίνων βασίλειαν ὅλης χθονός· ἐκ ῥοθίων γὰρ
τερπωλὴν ἀκόρητον ἐν ἄστεϊ θῆκεν Ὁμήρου.

Exstat epigramma quod ad aquationem vel ad thermas spectat, in Anthologia Pal. IX 672 (*ἄδηλον· εἰς τὴν αὐτὴν*

1) Hoc epigramma exstat etiam in codice celeberrimo Schedelii (cod. lat. Monac. 716 cf. de Rossi Nuove Memorie dell Inst. 1865 p. 501 sqq.) neque minus ep. 698 et 854 Kaib.: sed cum misere ibi sint corrupta, nihil nobis inde emolumenti accrescit ad verba emendanda.

2) Cum apud Bandinium inscriptiones minusculis tantum literis redditae sint, primae decimae duodecimae exemplaria Johannis Seger.

πόλιν i. e. Σμύρνην) et in Plan. p. 372 St., ubi falso adscriptum εἰς σωτήρια ἐν Σμύρνῃ (v. AP IX 642). Inde v. 1 ἁλιτέρμονα et v. 2 μοι recepi; in eodem versu Anth. Pal. et Plan. νοήσεις exhibent. — Possit quispiam suspicari Kyriacum epigramma non de lapide sed ex florilegio quodam descripsisse. Certe negari nequit illum haud pauca carmina ex codicibus literis capitalibus transcripsisse atque quasi in lapidibus exstarent commentariis suis inseruisse,[1]) at nulla ille nisi quae ad celebres spectant homines (Homerum, Hesiodum, Sapphonem, Alexandrum, Semiramin, Diogenem, Croesum,

Dr. phil., insigni comitati debeo, quae typis non tam accurate quam volui reddi potuisse doleo.

1) Id bene tenendum est Kyriacum nullam inscriptionem ex suo excogitavisse et effinxisse, ut multo longius provectus sit et Larfeld (Burs.-Müll. Jahresber. 1887 III p. 397) et Sternbach melet. gr. I p. 77, cum dicat eum totum ex fraude et mendaciis conflatum esse, id quod neque Mommsen neque Kubitscheck contendunt. Kubitscheck ex Kyriaci codice Berolinensi collegit falsa eius epigrammata (Arch.-epigr. Mitt. aus Oesterr. VIII 102 sq.), ex quibus Alexandri statuae epigramma etiam in Riccardiano, Sapphonis et Hesiodi etiam in Clm 716 inveniuntur. Ex eodem falsum accedit hoc (f. 57ʳ apud Synopem.):

ΓΗΡΑΣΚCΙΚΑΙΔΟΜΑΤΥΠΟΧΡΟΝΟΥ
ΑΛΛΑΓΟΝΚVΔΟΣΟΠΑΣΑΙΟΝΑΙΟΓΕΣ
ΟVΚΑΟΑΛΕΙΣΙΤΑΛΟΙΠΑ

i. e. = Anth. XVI 334: γηράσκ(ε)ι καὶ δ(ώ)ματ' ὑπὸ χρόνου, ἀλλὰ (σ)ὸν [οὔτι] κῦδος ὁ πᾶς αἰ(ώ)ν, (Δ)ιόγ[εν]ες, ⟨οὐ⟩ κα(θε)λεῖ (κα)ὶ τὰ λοιπά. Ridicule enim accidit ut in codice ex quo sumpsit Kyriacus non totum epigramma appositum esset sed post prius distichum alterum omissum esse vocabulis καὶ τὰ λοιπὰ significaretur. Quae ille ut erat homo graecae linguae non ita peritus, epigrammatis esse partem putavit. Ceterum ex primo versu sequitur recte Sternbachium (l. l.) negare Kyriacum ex Planudea hausisse: ibi enim χαλκός non δ(ώ)ματ' exstat quae lectio invenitur in cod. E Suidae (s. v. Φίλισκος). — Neque autem tantum epigrammata, sed etiam oracula pro inscriptionibus vendidit: v. CIG 1724 = Herod. 1. 47 (Kaibel EG prf. p. V); Bull. de corr. hell. 5. 434 (etiam Clm 716 f. 56ʳ) = Herod. 1. 65.

Lycurgum) pro inscriptionibus vendidit. Qua autem re potuit ille allici ut Joannis cuiusdam prorsus ignoti titulum se vidisse ementiretur? Quo accedit quod epigramma etsi Kyriaci testimonio careremus, utique pro inscriptione est habendum non minus quam eiusdem libri n. 670. 671. 673. Immo superavit illa inscriptio ut multae Anthologiae[1]) veterum nationum aetatem et tum etiam exstabat cum Kyriacus Asiae minoris urbes perlustrabat (v. CIL III p. XXII).

2. *Ἐν τῇ πόλει Σάρδεων.* Riccard. 21. CIG 3457. — Var. lect. (ad exempl. CI) 4. *αντωνινον*, 8. *ετιμησαν.*

3. *Ἐν τῇ αὐτῇ πόλει.* Ricc. 15. CI 3462. — Var. lect. 4. *ηρωα τιβεριον κλαυδιον* bis positum est.

4. *Ἐν τῇ αὐτῇ πόλει.* Ricc. 13. CI 3461. — V. l. 1. *βωννατον*, 4. *πολιεως* quod iam correxit Boeckh, 10. *πασας τας αρχας.*

5. *Ἐν τῇ κατὰ Ἰωνίαν Φωκαίᾳ.* Ricc. 16. CI 3415. — V. l. 2. *μοσχον* quod emendaverat Boeckh, 3. *αριστιων*, 7. *κοσμιοτητος* quod emendaverat Boeckh.

6. *Ἐν τῇ αὐτῇ πόλει.* Ricc. 18. CI 3412. — V. l. 1. *καισσαρα*, 2. *σεφφτιμιον.*

7. *Ἐν τῇ αὐτῇ πόλει.* Ricc 17, deest in CI. — V. l. *Αθηναιη* (*Ἀθηναίῃ* Ricc.).

8. *Ἐν Κύμῃ τῇ Αἰολίδι.* Ricc. 19. CI 3527 „ex Kyriaci scholio ad Strabonem. v. Kramer de Str. codd. p. 15“. — V. l. *χρηστηριω.*

9. *Ἐν τῇ νήσῳ Χίῳ·* Ricc. 7. CI 2218 „ex cod. Mediceo ed. Spon Misc. X. 61 p. 340“ qui codex num noster fuerit dubito. — V. l. 1. *αεμιλιον.*

10. *Εἰς τὸν ἐν Κυζικῷ ναόν.*

---

1) v. Kaibelii indicem septimum (adde: IX 682 = 1061), Löwy Arch.-epigr. Mitt. aus Oesterr. VII 125 sqq. = XV 11, Arch. Zeit. 1879. 151 = XIII 16, alia. De tribus libri XIV epigrammatis, quae dicuntur Iconii in lapidibus reperta esse infra dicam.

p. 133 ΕΚΔΑΠΕΔΟΥΜΩ
ΡΘΩΣΕΝΟΛΗΣ
ΑΣΙΑΣΑΦΘΟΝΙ
ΗΧΕΙΡΩΝΔΙ
ΟΣΑΡΙΣΤΑΙΝΕ
ΤΟΣ

Ἐκ δαπέδου μ' ὤρθωσεν ὅλης Ἀσίας [μέγα θαῦμα?
ἀφθονίῃ χ(α)ίρων Δῖος Ἀρισταινέτο(υ).

v. 1. Etsi in apographo nulla exstat lacuna, tamen primae inscriptionis versus secundus ubi *μοι* omissum est, ostendit talia librarium non curasse. Excidit appositio ad pronomen *με*. *θαῦμα (θάμβος)* vel *κάλλος* haud raro de aedificiis usurpari ostentant AP XVI 280; IX 656. 688. 697. 811, Kaibel EG 1066 sqq. | v. 2. *χαίρων* corr. R. Schoell | *Ἀρισταινέτου*, quod pro *Ἀρισταίνετος* scripsi, minime offendit v. p. 19.

11. *Εἰς Ἀθήνας*. CIA III 1. 401. 402. Exstat ex Kyriaci commentariis etiam in cod. Berolinensi f. 86 (Jahrb. d. preuss. Kunstsamml. IV p. 83) et in Clm. 716 f. 57r. — Var. lect. *εδυσ* bis (pro *αἴδ' εἰσ'* quod exhibent Berol. et Monac.).

12. *Χρησμὸς Παυσανίου προέδρου εὑρεθεὶς ἐν Τράλλ.*

p. 133 ΤΗΣΔΕΠΟΛΕΩΣΤΡΑ
ΛΕΩΣΤΟΚΑΛΛΟΣΧΡΟ
ΝΩΙΕΣΕΙΤΑΙ · ΣΒΕΝΝV

p. 134 ΟΙΜΟΝΕΛΑΦΡΟΤΑΤΟΝ

Τῆσδε πόλεως Τρόλ[λ]εως τὸ κάλλος χρόνῳ [οὐχὶ π]εσεῖται
σβεννύ[μενον, τελέσει? δ'] οἶμον ἐλαφρότατον.

Ex lemmate apparet fuisse in lapide praescriptum: *Χρησμὸς δοθεὶς Παυσανίᾳ προέδρῳ*. cf. oraculum ipsum quoque Trallibus inventum (Bull. de corr. hell. 5. 340): *Χρησμὸς τοῦ Πυθίου δοθεὶς Κλειτοσθένει τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως*. v. 1. *τὸ κάλλος*] de versuum in oraculis vilitate v. Kaibel EG 1038 not. | *χρονω* falso exhibet Bandini. | De lacuna v. ad n. 10. | v. 2. Excidit verbum

quale ἕξει, scripsi τελέσει quae futuri forma exstat in oraculo Kaibel EG 1038, 28. Eadem pentametri clausula occurrit in Anth. XVI (app. Plan.) 334, 4 ἔδειξας . . . ζωᾶς οἶμον ἐλαφροτάταν.

13. ἐπίγραμμα εἰς τὸν Ἡσιόδου τάφον. AP VII 52.

14. ἐπίγρ. εἰς τὸν Λίνου τάφον. AP VII 616.

15. ἐπίγρ. εἰς τὸν Ὀρφέως τάφον. AP VII 617.

16. ἐπίγρ. εἰς τὸν Μουσαίου τάφον. AP VII 615.

17. ἐπίγρ. εἰς Ὀππιανοῦ τάφον. ex Oppiani vita Anth. app. 271.

18. ἐπίγρ. ὃ εἶπε Πτολεμαῖος πρὸς ἑαυτόν·

Οὐρανίων ἄστρων πορείην (scr. *πορίην*) *καὶ κύκλα σελήνης*
ἐξεθέμην σελίδεσσι πολύφρονα δάκτυλα κάμπτων.

Exstat etiam in alio cod. Laurentiano Bandini II p. 69. Egit de hoc et de subsequente epigrammate Buttmann in „Museum der Altertumswissenschaft" II 469.

19. ἕτερον ὃ εἶπε Πτολεμαῖος πρὸς ἑαυτόν. AP IX 577.

Septem quae agmen claudunt epigrammata etsi capitalibus literis exarata tamen (praeter n. 17) neque inscriptiones sunt neque, cum loca ubi inventa fuerint adscripta non sint, ut inscriptiones proferuntur. Quare ego e Kyriaco ea sumpta esse dubitaverim.

2.

Ne nostrae quidem aetati Kyriacos deesse nuper vidi, cum Asiae minoris inscriptionum quas Sterrett edidit partem priorem (An epigraphical journey in Asia minor. Boston 1888) oculis percurrerem. Inscriptionem enim n. 243, quae num genuina esset iam editor nullo ille quidem argumento allato dubitaverat, ex codice quodam a falsario transscriptam esse facile apparuit. Est autem haec: n. 243. „Konia. Copied by Dr. S. N. Diamantides: *Τὸ αἴνιγμα τοῦτο αἰνίττεται ἴσως τὸν ὄνυχα* (= *ὄνυχ*) *γράμματος αἱρουμένου τὸ ο μένει καὶ γίνεται νύξ, ὅτε δύεται ὁ ἥλιος.*

ΑΥΧΕΝΟϹΕΚΔΟΛΙΧΟΥΓΗΘΕΝΑΕΙΡΟΜΕΝΗϹΦΑΙΡ
ΗΔΩϹΥΠΕΡ
ΑΥΛΟΝΕΕΙΔΟΜΑΙΗΝΔΕΜΑϹΤΕΥϹΗϹΕΝΔΟΝΕΜΩ
ΝΛΑΓΟΝΩΝ
ΜΗΤΡΟϹΦΕΡΩΠΑΤΕΡΑΟΥΜΕΡΟϹΕΙΜΙΟΚΑΙΤΕΜΝ
ΗΜΑΙϹΙΔΗ
ΡΟϹΓΡΑΜΜΑΤΟϹΑΙΡΟΥΜΕΝΟΥΔΥΕΤΑΙΟΗΛΙΟϹ

The inscription seems to be suspicions, and for that reason I do not give the minuscules.“ Quae sunt misere compilata ex duobus Anthologiae Pal. epigrammatis XIV 58 et 35, quae sub nomine Pselli unum alterum excipiens leguntur in codice Parisino 968 (ed. Boissonade Anecd. gr. III 431). Hunc igitur secutus apponam:

ε'. Ἀγκινάρα ἢ Μήκων.

[Ἐγκέφαλον φορέω κεφαλῆς ἄτερ· εἰμὶ δὲ χλωρὴ]
αὐχένος ἐκ δολιχοῦ γῆθεν ἀειρομένη.
σφαίρῃ δ' ὡς ὑπὲρ αὐλὸν ἐείδομαι· ἣν δὲ ματεύσῃς
ἔνδον ἐμῶν λαγόνων μητρὸς φέρω πατέρα.

ϛ'. ὄνυξ.

Ἀνθρώπου μέρος εἰμί· ὃ καὶ τέμνει με σίδηρος·
γράμματος αἰρομένου δύεται ἠέλιος.

ε'. v. 1. ex Anth. suppletus v. 4. *φέρω*] recte *ἔχω* Anthol. ϛ'. v. 1. *μέλος* Anth.

Inde luce clarius efficitur hausisse falsarium ex pessimo quodam codice qui ut et ordine carminum et corruptelis quibusdam Parisino illi persimilis esset, ita ne disiungeret quidem diversa epigrammata et alias insuper mendas exhiberet. Neque vero in his solis pro inscriptione vendendis acquiescendum putavit novus iste Kyriacus, sed ex eodem codice transscripsit etiam versus n. 245 quos in lapide iterum inscripto exstare ementitus est. „Konia. Copied by Dr. S. N. Diamantides: *Ἐπὶ γράμματα προυπάρξαντα. Τὸ αἴνιγμα τοῦτο αἰνίττεται ἴσως τὸν καπνόν, τίκτοντα δάκρυα ἐκ τῶν ὀφθαλμῶν.*

ЄΙΜΙΠΑΤΡΟCΛЄΥΚΟΙΟ
ΜЄΛΑΝΤЄΚΟCΑCΤЄΡΟC
ΑΧΡΙΚΑΙΟΥΡΑΝΙѠΝΙΠΤΑΜЄΝΟC
ΝЄΦЄѠΝ
ΚΟΥΡΑΙCΔΑΠΤΟΜЄΝΗCΙΝΑΠЄΝ
ΘЄΑΔΑΚΡΥΑΤΙΚΤѠ"

Quocum conferas epigramma codicis Par. 968 duo illa quae attuli antecedens (Boisson. p. 430 = Anth. Pal. XIV 5):

δ΄. καπνός.

Εἰμὶ πατρὸς λευκοῖο μέλαν τέκος, ἄπτερος ὄρνις,
ἄχρι καὶ οὐρανίων ἱπτάμενος νεφέων·
κούραις δ' ἁπτομένῃσιν ἀπενθέα δάκρυα τίκτω·
εὐθὺ δὲ γεννηθεὶς λύομαι εἰς ἀνέμους.

v. 3. δ' ἀντομένῃσιν Anth.

p. 16

enuntiatum v. 3—6 „Neque—censeamus" una cum nota 1) delendum est. Sero enim vidi Schubarti coniecturam *Σκαῖος* pro *καὶ ὅς* (sic), quam recepit Rutgers Jul. Afr. *ὀλ. ἀν.* p. 137, plane iis refutari quae disputaverunt Brunn Künstl.-G. I[1] 423 et Luebbert in ind. Bonn. 1886 p. XXII sqq.

VITA.

Natus sum Theodorus Preger Monachii a. d. IX Kal. Iun. anni huius saeculi sexagesimi sexti patre Guilelmo matre Guilelma e gente Meyer. Puerulus cum per tres annos elementa didicissem, exin receptus sum in gymnasium Guilelminum, ubi pater fidei evangelicae docendae munere fungitur. Praeerat tunc gymnasio vir et literis et arte educandi praestantissimus Wolfgangus Bauer, cui praematura morte defuncto successit praeceptor diligentissimus Christianus Adam neque is prosperiora fata nactus. Huius auspiciis maturitatis examine superato Octobri anni h. s. octogesimi tertii universitati literarum Monacensi civis adscriptus sum. — Docuerunt me viri illustrissimi Henricus de BRUNN, Guilelmus de CHRIST, Rudolphus SCHOELL, Eduardus WOELFFLIN, quorum disciplinae, si quid profeci in literis, hoc me maxima ex parte debere ingenue fateor. His igitur quam summas gratias ago, inprimis Rudolpho Schoell, cuius consilium mihi hunc libellum scribenti nunquam defuit.